DE ARNOBII ADVERSUS NATIONES LIBRIS VII COMMENTATIONES
III

DE CASUUM SYNTAXI ARNOBII

SCRIPSIT
Karl Julius
CAROLUS I. HIDÉN

HELSINGFORSIAE MCMXXI
ACADEMIA SCIENTIARUM FENNICA

HELSINGFORSIAE MCMXXI
TYPIS SOCIETATIS LITTERARUM FENNICAE

Praemonenda.

In sermone T. Lucretii Cari cum per multum tempus occupatus essem, non potui non animadvertere quantum Arnobius rhetor Siccensis in opere notissimo quod Adversus nationes inscribitur conficiendo ex poetae carmine De rerum natura mutuatus esset. Quam rem cum iam ante adnotassent Klussmannus Munro alii, fusius demonstrarunt Spindler Tschierschius Loefstedtius commentationibus ad sermonem Arnobii enodandum spectantibus. Illi viri doctissimi Arnobium, quamvis rarissime Lucretium nominaverit, nihilominus cupidissime et verba et elocutiones Lucretii in usum suum vertisse permultis exemplis docuerunt.

Quibus rebus cum de casuum syntaxi Lucretiana accurate disseruissem, ut Arnobii casuum usum tractarem commotus sum. Quem usum passim attigerunt Scharnaglius Brakmanus Krollius alii neque uno tenore tractarunt. Neque tamen operae pretium duxi omnes ex Arnobii libris adferre locos, ubi ad casuum usum declarandum mea ex sententia parum valerent. Ne librum nimis augerem, de singulorum casuum usu universo parcissime disserui neque multa de aliorum scriptorum libris ad usum Arnobianum illustrandum attuli exempla.

In locis adferendis editione Reifferscheidii usus sum libris priorum editorum diligenter collatis. Praeterea ad usum meum plurimas commentationes ad sermonem Arnobii spectantes adhibui, de quibus postea faciam mentionem.

Iuxta exemplum Loefstedtii A. p. 9 clausulas principales ab Arnobio in deliciis habitas hunc in modum breviter signavi:

Clausula I: –́ ⏑ –̀ –́ ⏓
Clausula II: –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓
Clausula III: –́ ⏑ –́ ⏓ vel forma plena
–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –́ ⏓

Ubi Arnobius dissolutas rhythmi formas adhibuit clausulam littera a adiecta notavi.

Scribebam Helsingforsiae Pridie Idus Ianuarias A. D. MCMXXII.

* stellula eos locos signavi ubi codicum scriptura corrupta est aut ab editoribus mutata.

· · · punctis nonnulla e poetae verbis a me omissa esse significavi.

< > uncis verba loci explicandi causa adiecta inclusi.

P = codex Parisinus s. IX n. 1661.

Cap. I.

Nominativus.

§ 1. De nominativi apud Arnobium usu.

De nominativi apud Arnobium usu haud multa excerpsi mentione digna. Separatim nonnullos adfero locos qui praeter ceteros mihi commemorandi videntur.

Permultis locis Arnobius, ut est dictionis variandae maxime studiosus, verbis passivis dicendi sentiendi aliis cum infinitivo et accusativum et nominativum adiungit[1], qua de re factum est, ut Baehrensius, cum de verbo singularis numeri ex substantivo nomine vel pronomine neutrius generis pendenti fusius quam rectius ageret, hunc quoque locum ex Arnobio proferret II 16 (61 22) *siquidem res eadem nobis et illis* ⟨*pecudibus*⟩ *est una, per quam esse animantia dicuntur et motum agitare vitalem* recepta codicis scriptura *dicitur*, quam Reifferscheidius clausularum Arnobianarum leges ignorans prave in *dicuntur* mutaverat[2]. Optime Loefstedtius A. p. 67 sqq. Reifferscheidio adversatus accusativum cum infinitivo hoc loco exstare contendit ad verbum finitum *dicitur* relatum.

Praeterea IV 18 (155 29) *utrumne res ita sint, theologorum ut indicant scripta, an aliter se habeant et multo dissociatae dis-*

---

[1] De nominativi cum infinitivo constructione personali quae dicitur fuse egit Hildebrandius ad VII 46 et de accusativo cum infinitivo cum verbis passivis coniuncto ad I 3; ceterum conferatur Brakmanus A. p. 42 sqq.

[2] W. A. Baehrens Beitraege zur lateinischen Syntax (Philologus Suppl. XII) p. 485.

crimine, ubi feminina forma Sabaeo debetur, Loefstedtius A. p. 83 sq. codicis scriptura *dissociata* servata multis exemplis allatis anacoluthi quoddam genus statuendum esse recte contendit. Altero loco II 65 (100 25) *Partes enim salutis dandae conferendique animis quod tribui convenit · · · solus ⟨Christus⟩ ab deo patre iniunctas habet et traditas* Loefstedtius l. l. Krollium secutus codicis scripturam *iniunctum et traditum* a Reifferscheidio, ut dedi, ad solitum scribendi usum mutatam haud temere defendit[1].

Numeri synesis quae vocatur pauca apud Arnobium adnotavi exempla mentione digna I 6 (8 7) *cum hominum vis tanta magisteriis eius acceperimus ac legibus;* IV 8 (147 12) *si exos genus humanum velut quidam vermiculi nasceremur;* cfr I 48 (32 22) *et medici enim sic curant, animal humi natum nec confisum scientiae veritati;* IV 16 (153 11) *quid in medio faciemus nos animal tenue?* VI 16 (227 23) *immemores et obliti · · · rationale homines animal et sapientiae munere consiliique donatum coctilibus testis succumbitis.*

Ceterum conferatur Brakmanus A. p. 30, qui nonnullis locis II 62 (98 1, 98 12) codicis scripturam a Sabaeo aliisque mutatam *κατὰ σύνεσιν* restituendam esse censet.

Cap. II.

Vocativus.

§ 2. De vocativi apud Arnobium usu.

In vocativo posita adnotavi:

A. Substantiva:

a. nomina propria.

III 43 (140 13) *adeste, adestote dii Penates, tu Apollo tuque Neptune.*

b. nomina appellativa.

[1] W. Kroll Die Zeit des Cornelius Labeo (Rh. Museum LXXI) p. 346 n. 1.

I 36 (23 9) *amici, edissertate.* — I 12 (11 6) *Quare habere si locum vestras vultis querimonias, homines*; II 78 (111 9); VI 14 (226 1). — I 31 (21 7) *Da veniam, rex summe, tuos persequentibus famulos.*

B. Adiectiva:

II 53 (90 2) *Quid ad vos, ineptissime, fatue?* de numeris conferas paulo ante p. 6.

Vocativo praeponitur *o* interiectio permultis locis, de quibus haec adferam exempla.

A. Substantiva:

a. nomina propria.

V 12 (185 7) *O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus inridendi*[1]. — VII 9 (244 21) *non tibi, o Iuppiter, iniustum videtur et barbarum?* — II 24 (67 14) *Quid in Menone, o Plato, . . . sciscitaris?*

b. nomina appellativa.

I 39 (26 10) *Venerabar, o caecitas, nuper simulacra;* ceterum conferas III 10 (118 14); 25 (129 2); IV 21 (158 11); 23 (160 4); V 9 (182 14); VII 25 (259 14); 27 (261 5); 31 (265 13). — I 17 (13 10) *Et tamen, o magni cultores atque antistites numinum, cur adseveratis;* conferas velim V 8 (181 1). — II 3 (49 13) *sive cum exclamamus o deus.* — I 25 (16 24) *Quid o . . . audetis homines proloqui?* Praeterea videas V 10 (183 21); 14 (186 16). — I 28 (18 12) *Quid dicitis o sacri, quid divini interpretes iuris?* praeterea vide III 10 (118 2); IV 11 (149 11); V 26 (197 24); 29 (200 17). — I 51 (34 28) *Quid dicitis o mentes incredulae difficiles durae?* conferas VI 26 (236 14). — I 31 (20 23) *o maxime, o summe . . procreator, o ipse invisus et nullis umquam conprehense naturis, dignus, dignus es vere.* De nominativi et vocativi iunctura passim apud scriptores occurrenti iam egit Hildebrandius ad h. l. Neque tamen adnotavit nominativum ad hiatum evitandum apparere ab Arnobio esse positum. Locum Arnobius ipse

[1] Pro altero vocativo Meiser p. 31 proposuit *aperuisset*, cum iam Salmasius servatis vocativis *dares* melius addidisset; de interiectionis usu conferatur Brakmanus A. p. 61.

partim imitatus est VII 25 (259 14). Praeterea conferatur Schmalzius Synt. p. 347 (§ 47 n. 1) et Brakmanus A. p. 31. — II 43 (82 22) *Quid dicitis, o s u b o l e s ac primi p r o g e n i e s numinis?* — I 65 (45 19) *o i n g r a t u m et i m p i u m s a e c u l u m.* — II 25 (68 13) IV 21 (158 6) *Quid dicitis, o v i r i?*

B. A d i e c t i v a, p r o n o m i n a:

II 8 (53 15) *dicite, o f e s t i v i et meraco sapientiae t i n c t i et saturi potu.* — I 53 (36 7) *Desistite, o n e s c i i;* conferas velim praeterea II 5 (50 12); IV 22 (159 13). — I 43 (28 24) *Quid dicitis, o p a r v u l i?* — I 41 (27 15) *Et tamen, o i s t i qui · · · ridetis;* eodem fere modo I 59 (41 2); II 13 (57 23); 35 (76 12); IV 8 (147 10); 17 (155 17) cet.[1].

Recte Spindler de apostropha et de exclamationibus p. 18 sqq. disserens animadvertit raro Arnobium placida oratione de illis loqui, I 2 (4 1) *qui se numinum profitentur esse cultores atque inveteratis religionibus deditos,* sed plerumque adversarios ipsos alloqui violentis vehementibusque verbis. Oratorio sermonis colori maxime convenit *o* interiectio ab Arnobio multis praeterea locis usurpata[2]. De accusativo interiectioni uno loco addito videas postea.

Cap. III.

Accusativus.

§ 3. Accusativus loci.

Ad locum quo tendit verbi actio significandum nudus accusativus verbis motum indicantibus ab Arnobio perpaucis locis apponitur[3].

Uno loco nomen urbis in accusativo positum exstat nulla praepositione adiecta:

---

[1] Hanc esse graecam locutionem monet Spindler p. 18, id quod iam Hildebrandius ad II 13 adnotavit dicens: »Locutio Graecorum est ὦ οὗτοι per contemptum dicentium».

[2] Ceterum conferatur Reifferscheidii Index III verborum et locutionum p. 334.

[3] Conferatur C. F. W. M u e l l e r Syntax des Nominativs und Akkusativs im Lateinischen 1908.

II 12 (57 13) *viderant ⟨Simonem magum⟩ · · · post deinde perlatum Brundam · · · ex altissimi culminis se rursum praecipitasse fastigio*[1].

Nonnullis apud Arnobium locis elocutio occurrit *infitias ire*[2]:

I 34 (22 9) *tamquam eamus infitias esse deum maiorem:* II 74 (108 25) *Non imus infitias nescire nos;* VII 39 (272 5); [44 (277 8)].

Praeterea Arnobius accusativum supini verbis motum indicantibus his locis adiungit:

V 1 (173 17) *cum Faunus et Martius Picus · · · venissent haustum;* 6 (178 4) *Necessitatis in tempore haustum accurrit Agdestis.* — V 24 (196 2) *quibus sibi praelucens ⟨Ceres⟩ pergit ire quaesitum.* — VII 41 (274 3) *qui spectatum proficisceretur e caelo cantherios;* 44 (277 17, 278 1)[3].

His ex locis apparet Arnobium supini accusativos nequaquam evitasse, sed priorum scriptorum morem imitatus et nudos et obiecti accusativo adiecto posuisse. Idem de supini ablativo valet, de quo postea agam[4].

§ 4. Accusativus obiecti.

In verbis transitivis quae dicuntur cum accusativis obiecti coniungendis quoniam Arnobius ab solito scriptorum latinorum dicendi genere non multum deflexit, de obiecti accusativis agere supervacaneum duxi. Pauca tantum ex immensa verborum copia Arnobiana adnotanda repperi, quae in medium proferam.

deflare cum accusativo construi veri simile est I 45 (29 30) *Unus fuit e nobis, cuius manus intercutes et veternosae fugiebant*

[1] De rarissima nominis forma *Brunda*, qua significatur *Brundisium*, conferatur Thesaurus L. L. sub voce.

[2] De hac elocutione conferatur Schmalzius Synt. p. 355 (§ 58 n.).

[3] De confusione in fine totius operis maxima VII 44 (277 8 — 278 13) conferas Reifferscheidii praefationem p. XIV et Meiseri explicationem huius rei p. 6 sq.

[4] Ceterum de accusativi supini usu conferatur Schmalzius Synt. p. 464 sq. (§ 196).

undae, penetrabilis ille vitabat liquor et turgentia viscera salutari ariditate deflabant? Recte enim Loefstedtius A. p. 73 Hildebrandio ad h. l. praeeunte subiecti mutationem statuit ita, ut *deflabant* verbi subiectum sit *manus*, qua re haec exsistat enuntiati sententia: cuius manus pellebant viscerum tumorem salutari ariditate. Minus apte *deflare* intransitive mediali significatione positum esse existimatur, quod transitivo sensu semper usurpatur. Praeterea conferri potest verbum consimile quod est *difflare* ab Arnobio passive adhibitum II 12 (57 10)[1].

horrescere secundum poetarum morem accusativum adsciscit: IV 23 (160 2) *omnis illa proluvies* · · · ·, *quam non modo Lynceus ille penetrabili acie possit horrescere.*

inhorrescere quoque cum accusativo ponitur: I 35 (22 28) *quid* · · · *nostri nominis inhorrescitis mentionem?* Praeterea S. Aurelius Victor verbum transitive cum accusativo uno loco usurpat De Caesaribus 24 4 (Pichlmayer) *cum tantae severitatis vim milites inhorrescunt.*

incurrere more recentiorum scriptorum cum accusativo obiecti coniungitur uno loco IV 16 (155 9) *ne* · · · *stultitiae crimen incurrat. Incursare* passive positum occurrit I 3 (5 21) *quibus negotia incursantur humana.*

indolescere ut iam antea accusativum adsumit: I 63 (44 8) *ipse* · · · *humanas miserias indolescens.* Pari modo dixerunt Ovidius Apuleius alii.

maledicere. II 45 (84 15) *tum deinde se omnes maledicerent, carperent et saevorum dentium mordacitate laniarent*[2]. Ex verborum connexu plane apparet accusativum propter verba sequentia transitiva synonyma ab Arnobio *maledicendi* quoque verbo esse adiectum, cui dativus alias duobus locis subiungitur ad usum apud optimos scriptores solitum, ubi verbum solum est positum. Ad verborum non eundem casum regentium collocationem comparari potest locus IV 6 (146 15) *praegustatoris fungitur atque experitur officio,*

[1] De *dis-* et *de-* praefixis conferatur Loefstedtius Per. p. 273 sq.

[2] Notandae sunt clausulae *male / dicerent, carperent* (cl. II), *mordaci / tate lanjarent* (cl. I), cfr Lorenzius p. 15.

cuius loci verborum ordinem Loefstedtius A. p. 77 contra Meursium optime defendit[1].

sitire. I 25 (16 17) *concedamus ··· sanguinem illos sitire nostrum.*

sonare. V 40 (209 17) *id est ut historiae aliud verbis sonent;* conferas quoque III 16 (123 1) *Si aselluli canes porci humanum aliquid saperent.*

suadere uno loco passive usurpatur: I 64 (45 12) *quam vos habere confiditis humanis paucorum adseverationibus suasi* (cl. I).

Meiserum p. 22 sine causa *persuasi* proposuisse iam rhythmus ostendit, id quod Loefstedtius Patr. p. 8 recte animadvertit; cfr Brakmanus A. p. 35[2].

subintroire. VI 12 (224 13) *cum ··· qui Mavors fuerat subintroire speciem Iovis possit Hammonis.*

§ 5. Accusativus obiecti interni.

Interdum fit ut verbum et nomen eiusdem originis ad notionem verbi augendam coniungantur. Qui accusativus obiecti interni qui vulgo appellatur, cum non solum in vulgari sermone, sed etiam a priscis scriptoribus saepissime adhibitus esset, postea artissimis finibus est circumscriptus. Neque Arnobius, quamvis et abundantis dicendi generis et vocum consonantiae studiosissimus sit, huiusmodi accusativis nisi parcissime usus est[3]. Nam ex Arnobii libris haec pauca adnotavi exempla.

III *9 (117 20) *Neque enim veri est simile, haberi haec frustra aut inprobum in illis lusum ludere voluisse naturam*[4]*;* IV 25 (161 21)

[1] De huius verbi usu praeter ceteros agit Loefstedtius Per. p. 217 sq.

[2] *suaderi* quae codicis Parisini est scriptura II *26 (69 21) ab Ursino in *videri* mutatum est, ab Oehlero in *sua de vi*, quae verba Reifferscheidius fortasse recte recepit.

[3] Conferatur Spindler p. 21 sqq. et 61 sqq.

[4] *inprobum* et *lusum* Hauptius coniecit, *inprovida* et *suam* codex praebet, *inprovidam in illis sua ludere* Reifferscheidius in Praefatione proposuit. Iuxta codicis scripturam fortasse legendum est: *aut inprovidam in illis suam ludere voluisse naturam.*

Numquid aliquando a nobis canscriptum est mercennariam deos servitutem servisse? Conferas quoque II 76 (109 29) *cur persecutiones patitur perpeti.*

Praeterea de figurae etymologicae quae appellatur exemplis videas Spindlerum p. 44.

§ 6. Accusativus obiecti personae et rei.

Ex iis verbis quibuscum duo accusativi personae et rei coniungi solent haec apud Arnobium repperi, quae in medium proferam.

docere. II 4 (49 27) *Monstrabimus enim Christum non impietatem docuisse nationes*[1].

poscere. I 7 (8 23) *Sententiam me poscis huic necessariam nihil causae;* conferas e. gr. I 39 (26 14) *beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.*

§ 7. Accusativus temporis.

Accusativus, cum antiquitus in lingua latina spatium per quod verbi actio duraret semper indicaret, postea paulatim ita ex scriptorum sermone evanuit, ut pro nudo accusativo accusativus e *per* praepositione pendens vel ablativus fere ubique poneretur. Quo factum est, ut posteriores scriptores, quo magis vulgari sermoni se accommodarent, eo magis accusativi usum evitarent[2]. Quare non est mirandum apud Arnobium nudum accusativum rarissime occurrere. cum *per* praepositione coniunctum aliquotiens, ablativum temporis vero esse frequentem. Nonnullis locis accusativus solitum in morem obiecti loco cum verbo coniungitur velut I 49 (33 10) *postquam dies noctesque in continuis precibus et pietatis expectatione triverunt.*

Separatim adfero hunc locum, ubi exstat antiqua elocutio *illud temporis:* V 25 (196 5) *Quinque illud temporis has partes incolebant terrigenae.*

---

[1] *impietate* P corr c.

[2] Schmalzius Synt. p. 356 (§ 59 n. 4), Loefstedtius Per. p. 51 sqq.

§ 8. Accusativus relationis.

Accusativum formis inprimis passivis ab scriptoribus passim adiungi notum est. Saepenumero corporis pars quae verbi actione tangitur accusativo exprimitur. Neque Arnobius nisi parcissime huiusmodi accusativum admisit. Unum apud eum repperi exemplum: V 23 (194 12) *Vellem itaque videre patrem illum deorum Iovem* · · · *ruminigantem pallentis herbas et ex parte postica caudam suffragines talos molli fimo perlitum atque intestina proluvie delibutum*[1].

De accusativi usu adverbiali nihil apud Arnobium mentione dignum adnotavi.

§ 9. Accusativus exclamationis.

Accusativum praeposita *o* interiectione in exclamatione usurpatum uno loco repperi:

V 13 (185 18) *O fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino.*

De vocativo huic interiectioni addito videas p. 7 sq.

§ 10. Accusativus praepositionibus appositus.

Praepositionum usum Arnobianum accuratius examinare necessarium non habui, quandoquidem uno tenore, ubi omnium praepositionum doctrina explicatur, quibuscum casibus coniungantur aptius demonstrari posse duco. Iam antea compluribus locis exempla in medium protuli, in quibus cum casu ponitur praepositio[2].

---

[1] *molli fimo* Ursinus proposuit pro codicis scriptura *mollissimo*, *mollissima* corrector antiquus sine dubio rectius scripsit, i. e. *mollissima intestina proluvie perlitum atque delibutum.*

[2] Exempla praepositionum usus multa ab Reifferscheidio in Indice III passim allata sunt. Praeterea Scharnaglius de praepositionibus agit I p. 43 et II p. 11 sq.

Cap. IV.

Dativus.

§ 11. Dativus finalis.

Dativus finalis qui vocatur ab Arnobio quoque cum verbis et intransitivis et transitivis saepenumero coniungitur ad effectum actionis aut ad personae vel rei agentis intentionem indicandam. Quem dativum verbis qualia sunt *esse habere iacere* similibus praedicativa vi praeditum apud Arnobium appositum esse apparet. Speciatim animadvertendum censeo dativos finales gerundivo definitos ab Arnobio haud raro usurpatos esse. Iam Schmalzius Synt. p. 376 (§ 90—92) adnotavit dativos in *-ui* desinentibus ab Tacito et ab Apuleio adamatos esse, quales ab Arnobio saepissime positos esse ex locis infra allatis manifestum est. Praeter dativum finalem (dativum rei) alter dativus (dativus personae) plerumque adscribitur verbo ad personam designandam, cuius quid commodo aut incommodo dicitur fieri[1].

Apud Arnobium his locis dativum finalem repperi.

V 7 (179 6) *Midas · · · matrimonio eius suam filiam destinat.* — VII 13 (247 30) *Aiunt enim sacra haec honorandis esse instituta caelestibus.* — III 13 (120 23) *sequitur ut habeant · · · suspensum imbricem narium, munctionibus muculentis et spiritali commeabilem tractui, subactionibus ciborum dentes, · · · corporibus sustinendis pedes, explicandis gressibus et suggerendis anticipationibus itionum genua. Genua* in fine totius enuntiati ad Reifferscheidio addita est vox, quae mihi quidem supervacanea videtur. Nam *pedes* mea ex sententia ἀπὸ κοινοῦ et ad verba antecedentia et ad sequentia referri potest, quemadmodum priores locum dederunt editores, nisi *pedes* iterare mavis, id quod fecerunt cum Klussmanno Reifferscheidius I 31 (21 3) *qualitatis expers, ⟨expers⟩ quantitatis,* Ursinus probantibus omnibus editoribus I 46 (30 13) *qui sequentium se milia quinque ⟨quinque⟩ saturavit e panibus.* Meursius ceteri II 11 (55 10) *Sed officiant haec ⟨nihil⟩ nihilque*

[1] Conferatur inprimis F. Gustafsson De dativo latino. Helsingforsiae 1904. — C. F. W. Mueller Die Syntax des Dativs im Lateinischen (Glotta II p. 169 sqq.).

impediant, Loefstedtius A. p. 34 VI 19 (231 12) *portiones idem posse quod totum, ⟨totum⟩ cum consistere nequeat.* Codicis scriptura servata melior sine dubio rhythmus exsistit clausula dissolutis numeris effecta *anticipati/onibus itionum*, qui ab Reifferscheidio tollitur additamento, qua de re conferas Lorenzium p. 6 § 5. Optimam quoque clausulam II fingi antecedentibus verbis *sustinendis pedes* in promptu est. — VI 20 (232 6) *cum aliquam quaeras prohibendis formidinem furibus.* — VII 9 (244 8) *gignendis conveniunt liberis.* — VII 35 (269 15) *quas generare auctor voluit rerum substituendis per libidinem prolibus.* — II 38 (79 4) *quibus enumerandis omnis aetas angusta est.* — II 42 (82 11) *Idcirco animas misit, · · · ut inflandis bucculas distenderent tibiis;* potest hoc loco de instrumentali sensu cogitari.

Praeterea dativus finalis his verbis solito more additur:

destinare vide supra p. 14.

esse. VII 48 (283 3) *cum remedium · · · auxilio fuisse uni tantum reperiatur aetati.* — III 2 (112 18) *Si vobis divina res cordi est;* V 20 (192 5) *neque alia cordi est res*[1]. — II *5 (50 14) *quae sunt despectui vobis*[2]. — II *23 (66 20) *quo genere singula esse debeant esui*[3]. — II 59 (95 21) *si fructui vobis sunt.* — II 51 (88 3) *Sed risui vobis est nostra responsio;* *62 (98 17) *multum postea paenitebit fuisse rem risui*[4]; V 26 (197 12). VI 12 (223 15) *quae cuilibet tristi possent esse derisui.* — V 16 (188 12) *cum ipsa sacra sint testimonio;* 21 (193 5). — VI 3 (216 1) *quae tibi sint usui.* — IV 33 (168 19) *vobis illa est descriptio voluptati.*

excogitare. V 2 (174 22) *Ita enim sunt omnia et excogitata et comparata derisui.*

---

[1] Schmalzius Synt. p. 376 (§ 90,1) *cordi* locativum esse dubitanter existimat.

[2] *despectui* Sabaeus proposuit, *dispectui* codicis est scriptura.

[3] ita Salmasius recte (cl. I), *debeant et sui* codex Parisinus servat.

[4] *me risui* codex Parisinus praebet, *irrisui* dedit Sabaeus, *derisui* haud scio an recte Meursius coniecerit, quae vox aptius rhythmo respondet quam scriptura a Reifferscheidio in textum recepta. Ad clausulam conferas velim supra VI 12 (223 15) et V 2 (174 22).

habere. VI 2 (215 17) *qui possumus iudicari deos habere contemptui;* I 63 (43 18) *is debiles reddere difficultati habuit aut labori?* IV 20 (157 12) *quos · · · homines et execrationi habeant et horrori;* VI 1 (214 17) *quod eos arbitramur et credimus honorum haec genera aut risui habere;* VII 21 (255 3) *quae habentur his esui.*

iacere. I 24 (16 8) *iacent antiquae derisui caerimoniae.*

His addere libet quod in adiectivum abiit: *frugi*[1] III 19 (124 21).

Dativum sensu aperte locali inde ab litterarum latinarum initiis ab scriptoribus passim usurpatum esse structurae consimiles cum praepositionibus compositae satis demonstrant. Quorum permultos dativorum per analogiam structurarum vulgo occurrentium adhibitos esse Schmalzius Synt. p. 377 (§ 92) recte monet. Dativos locali sensu positos similesque quoscumque apud Arnobium repperi infra breviter recensebo. His ex locis videmus dativum loci ex eiusmodi verbis pendere, quibus alias dativus inprimis acquisitionis adscribitur[2].

inferre. I 3 (5 18) *Quid est istud, quod dicitur invectam esse labem terris, postquam religio Christiana intulit se mundo?* 60 (42 2) *si talem voluisset inferre se terris.*

reddere. I 50 (34 11) *sub eorum tortantes et illi se † casibus iussione non alia sanitati et constantiae reddiderunt*[3]*;* 63 (44 10) videas infra.

restituere. I 48 (32 4) *Non inquiro, non exigo, quis deus · · · quem fractum restituerit sanitati;* 63 (44 10) *Ipse denique · · · omnes omnino · · · unica illa benignitate miseratus reddidit et restituit sanitati?* VII 43 (276 26) *At enim · · · sanitati homo est continuo restitutus*[4].

---

[1] Conferantur Stolzius p. 174 et Lorenzius p. 13.

[2] De structuris quodam modo inversis nonnulla disserit Loefstedtius quoque Per. pp. 10 sq. et 323.

[3] De scriptura huius loci agit Loefstedtius A. p. 12, qui prae ceteris coniecturam Meiseri *crucibus* recte mea ex sententia probat.

[4] VII* 48 (282 30) *Aut ergo iam fracta atque inminuta vi morbi anguis ille perlatus famam conservatoris adsumpsit* Reifferscheidius cum plurimis Sa-

§ 12. Dativus acquisitionis.

Dativum verbis quam plurimis quibus aliquid addi alicui dicitur apponi solere notum est. Multis de causis factum esse constat, ut huiusmodi dativus et in vulgari sermone et apud poetas posterioresque scriptores cum compluribus verbis coniunctus sit, quae temporibus aureae aetatis aliter poni soleant[1]. Ab aureae aetatis scriptorum norma quia non multum deflexit Arnobius, ex copiosa verborum caterva paucos locos fuse tractabo plurimis verbis omissis aut breviter commemoratis.

aequare. II 11 (55 19) *causis, partibus;* III 26 (129 24) *solo.*

auscultare. II 2 (48 1) *cui auscultare deberetis et credere;* ad dativum ponendum verbum sequens *credere* nonnihil valuisse perspicuum est. Altero loco inverso verborum ordine dicit Arnobius II 11 (55 11) *plurimum quominus eis credere atque auscultare debeatis.* De usu huius verbi apud scriptores latinos conferri potest Schmalzius Synt. p. 372: ebenso [hat] *auscultare* im Altlat. und in Cic. Erstlingsreden [den Dat.] et Thesaurus L. L.

blandiri. II 62 (97 20) *vobis;* VII 23 (256 19) *venenato scorpio.*

cedere (intr.). II 27 (70 19) *tactui atque incursionibus.*

commodare. I 6 (8 15) *Quodsi omnes omnino* · · · *salutaribus*

---

baeum secutus edidit, ubi *urbi* codicis Parisini est scriptura. Editorum ex numero Hildebrandius solus quantum scio *urbi* recepit, quem dativum cum participio *perlatus* coniunxit dicens: »ex usu interpretor dicendi Latinorum, pro accusativo praepositione *in* adiuncta dativum ponere amantium«. Sed ut ablativus *vi* genetivum attributivum flagitare videtur, ita participium haud facile locali determinatione carere posse equidem confiteor. Quamquam *urbi* vocem propter duplicem hiatum *vi urbi anguis* non aeque facile defendi posse atque *morbi* genetivum lubenter concedo. Praeterea contra Hildebrandium animadvertendum censeo dativum forsitan potius ad antecedentem ablativum absolutum referendum esse respectis commatis propter clausulas in fine membrorum adhibitas: *inmi/nuta vi urbi* (cl. I), *conserva/toris adsumpsit* (cl. I). Qua de causa, utut scriptura exstat loci, rem in medio relinquo codicis scripturam haudquaquam prorsus spernendam ratus.

[1] De his rebus conferatur Schmalzius Synt. p. 372 (§ 84), Loefstedtius Per. p. 217 sq.

eius pacificisque decretis aurem vellent commodare; 54 (37 4)[1]; 60 (41 24); IV 4 (144 7); V 27 (198 16); VI 10 (221 15); 16 (228 8); VII 12 (246 29, 247 7); 23 (256 7); 33 (267 9).

Ad praepositio cum accusativo verbo ab Arnobio adamato adscribitur uno loco: VI 18 (230 24) *deum · dicendum est · · · · ad illorum formare atque aptare se vultus et ad reliquos habitus figurati corporis sui similitudinem commodare,* ubi antecedentem praepositionem ad structuram huius quoque verbi valuisse manifestum est. Praepositionis ad usum conferri potest paulo ante (20) *alieni ad corporis usum coartari.*

credere. I 1 (3 1) *suis persuasionibus;* 6 (8 17) *suis sensibus, commonitionibus*[2]*;* II 10 (54 20) *suis suspicionibus.*

curare. I 48 (32 27) *ut sit laudabile scire, qua quibus conveniat medicina aut arte curari*[3].

Codicis Parisini scripturam *quae quibus* in textum receperunt Elmenhorstius Hildebrandius alii, Ursini coniecturam *qua quibus* Meursius Oehler Reifferscheidius probarunt, *qua quos* Salmasius proposuit. Licet Ursini emendatione recepta locus aliquanto facilius explicetur, haud scio an primaria scriptura *quae* servanda sit. Equidem puto ab Arnobio duo enuntiata interrogativa *quae conveniat medicina aut arte curari* et *quibus conveniat medicina aut arte curari* solito more in unum contracta esse[4]. De loci sententia iam dixit Hildebrandius: »Quamquam vero inusitata est dicendi ratio *curare alicui aliquid aliqua re* pro *pellere*, tamen propter insolentiam illud retinendum est, ac totum locum, si integrum esse velis, ita suppleas: qua arte conveniat aut medicina singulos curari morbos et quibus hominibus«. Multis locis et cum accusativo transitive et passive

[1] De loci scriptura videas Lorenzium p. 34.

[2] ita ex coniectura Sabaei omnes, *commotionibus* fortasse recte codex Parisinus, qua de re videas Thesaurum L. L. et quae egi R. I. p. 8.

[3] Hic locus in Thesauro L. L. quantum scio non legitur, altero loco III 23 (127 1) in Thesauro allato *Nisi forte hoc dicitis · · · eos <deos> his artibus praesidere, curare* dativus proprie ex priore infinitivo pendet.

[4] De eiusmodi enuntiatis agit Schmalzius Synt. p. 657 (§ 50 C.) et Hildebrandius ad I 48 in.

ponitur ab Arnobio velut paulo post 49 (33 12) *Quid ergo prodest ostendere unum aut alterum fortasse curatos?*[1]

Arnobius si *qua* habuisset, *quos* sine dubio posuisset, id quod Salmasius sagaciter vidit, ergo quia dativum *quibus* habet plurimis probatum, forma *quae* pro scriptura Arnobii vera est putanda[2]. Animadvertendum censeo dativum cum hoc verbo compluribus locis ab Apuleio quoque coniungi, quocum haud pauca Arnobio fuisse communia Tschierschius testatur p. 41 sq.[2] Praeterea videas verbum compositum *procurare.*

procurare. III 25 (129 2) *Victa et Potua sanctissimae victui potuique procurant.*

facere. VII 30 (264 5) *quid facere possumus considerare nolentibus penitus res ipsas;* dativus sine dubio aptius quam ablativus statuendus est, qua de re videas Schmalzium Synt. p. 383 (§ 101 n. 7).

fieri. I 28 (18 26) *sacra scortis meritoriis atque prostitutis.*

efferre i. q. *exaedificare.* I 28 (18 28) *templa faelibus scarabeis et buculis.*

fidere verbo utrum dativus an ablativus subiunctus sit non liquet his locis: II 5 (50 26) *quibus*; 12 (57 11) *dis falsis;* (16) *vestris cordibus;* VII 10 (245 5) *inanibus persuasionibus;* (19) *auxiliis;* 29 (263 6) *facto.*

Ablativum certe uno loco adsumit: II 51 (88 25) *ista vestra qua fiditis pro ignoratione est habenda suspicio.*

figere. I 10 (10 16) *modum rebus luxuriantibus;* 27 (17 26) *quod · · pollicentibus.*

morem gerere. VI 23 (234 5) *infortuniis.*

irasci. I 17 (13 11) *populis Christianis;* *19 (14 11) *aliis*[3]*;* cet.

[1] De structura verbi impersonalis conferas e. gr. II 58 (94 16) *cur · · frustilla haec ignea convenerit atque oportuerit figi?* Ceterum Brakmanus A. p. 43.

[2] De verbi casu dicit Schmalzius Synt. p. 372: So wird *curare* bei Plaut. mit Dativ und Accus. verbunden. Ceterum adeas Thesaurum L. L.

[3] *aliis* ex coniectura Salmasii, *in aliis* recte fortasse Parisinus, *in alios* Sabaeus.

iungere. II 38 (79 6) *ei;* 52 (89 11) *aerium spiritum his;* VII 51 (284 25) *potentioribus populis se.* Ex sententiarum connexu et dicendi ratione dativus his omnibus locis statuendus est neque ablativus; conferas Schmalzium Synt. p. 372 (§ 84 fin.).

labi. II 74 (108 17) *quas rebus oportuit incolumibus labi et temporis opportunitatibus ministrari.* Quamquam de ablativo absoluto cogitari potest, verborum corresponsione, quod Arnobius sequenti quoque verbi infinitivo dativum adscripsit, adductus sum, ut dativum statuerem. Accedit quod verbum simplex *labi* pro composito *illabi* videtur esse positum[1].

libere. I 2 (5 7) *cuique;* 25 (16 16) *vobis.*

conlibere. II 56 (92 17) *tertiis vero conlibitum dicere est.*

licere. II 52 (88 26) *vobis.*

nasci. II 3 (49 22) *vobis;* VII 28 (262 9) *illis.*

nectere. VII 10 (245 8) *sibi.*

opitulari. VI 5 (218 8) *nullis.*

patere. II 24 (68 6) *ei;* 62 (97 23) *sibi;* 64 (99 16) *omnibus;* cet.

pugnare. V 10 (182 25) *cur mater acerrime pugnabat inferenti vim filio?*

servire. I 26 (17 14) *summo regi;* cet.

sociare. II 71 (106 3) *sibi.*

supplicare. I 26 (17 18) *ei;* 28 (18 24) *vobis ipsis dominis;* 30 (20 28) *cui;* cet.

§ 13. Dativus possessionis.

Dativum latinum notum est *esse* verbo aliisque apponi ad personam vel rem significandam cui quid sit. Qui dativus non solum ad veram possessionem indicandam usurpatur, sed ad corporis mentisque qualitates etiam exprimendas ponitur a poetis posterioribusque scriptoribus. Huiusmodi dativos apud Arnobium quoque crebro occurrere repperi. Qui cum ab solito usu scriptorum parum diffe-

[1] De verborum simplicium pro compositis usu apud posteriores conferatur velim Loefstedtius St. p. 49 sqq.

runt, solo ex primo libro ad Arnobii dicendi genus illustrandum omnes dativos possessionis adferam paucis ex ceteris libris locis adiectis, qui aliquid praebent mentione dignum.

I 18 (14 5) *imminutioni et corruptioni iam locus est;* 31 (21 18) *cum quibus hoc tempore nullum nobis omnino · · erit · · certamen;* 32 (21 20) *Sermo cum his nobis est;* 59 (40 17) *cum tibi sit ratio cum male se habentibus atque aegris;* 60 (42 2) *qualis ei primigenia natura est;* 64 (45 15) *si animus vobis clemens fuisset et mitis;* II* 23 (67 13) *Nonne vocem si fuerit necessitate aliqua coactus emittere, ut solemne est mutis*[1]. Separatim nonnullos proferam locos, ubi infinitivus verbi est subiectum, non nomen:

I 28 (19 13) *erit nobis consequens confiteri.* VII* 34 (268 19) *quia illis se volup est lavacrorum refovere caldoribus*[2]. I 10 (10 15) *Unde tibi est scire?* IV 13 (150 19) *unde vobis est scire?*

Saepissime dativus *esse* verbo cui coniuncta est determinatio praedicativa ab Arnobio more solito adscribitur. Qui dativus haud raro pro genetivo videtur esse positus, quare nonnumquam e substantivo proprie pendet. Modo ad dativum commodi et incommodi modo ad dynamicum tam prope accedit, ut discerni vix possit[3]. Hos ex Arnobii primo libro adnotavi dativos:

I 5 (7 19) *Ut Helena · · · et suis esset dirum et venturis temporibus fatum;* 22 (15 13) *libido quae tanta est inimicos atque hostes deos esse contendere Christianis;* 28 (19 3) *Nobis solis sunt inimici, nobis asperrimi di hostes;* 35 (22 30) *Aut quid in eadem causa vobis esse contenditis familiares deos, inimicos atque infestissimos nobis? Etenim si una religio est nobis vobisque communis, cessat ira caelestium.*

Praeterea elocutio *alicui nomen est* cum dativo coniuncta est his locis:

---

[1] ita Gelenius codicis Parisini scripturam *multis* correxit.

[2] *volupe* in codice scriptum fuisse apparere adnotavit Reifferscheidius; ceterum conferatur de hac voce Tschierschius p. 16 n. 3.

[3] Schmalzius Synt. p. 374 huiusmodi dativum commodi et incommodi dativo adfinem esse censet.

IV 22 (158 23) * *graece Dioscoris nomen est*[1]; V 18 (189 22); *quibus initiis nomen est;* 19 (190 17) *Bacchanalia* · · · *inmania quibus nomen Omophagiis graecum est;* 21 (193 5) *quibus Sebadiis nomen est;* VII 33 (266 13) *quibus Floralibus et Megalensiis nomen est;* (266 29) *si tragoedia Sophoclis cui Trachiniae nomen est* · · · *actitatur.*

Quibus ex locis cognomentum personae vel rei ab Arnobio ante elocutionem positum semper dativo exprimi apparet, id quod Schmalzius Synt. p. 373 (§ 85 n.) apud posterioris latinitatis scriptores usu venire docet. Aliter uno dicitur loco II 36 (77 4) *in eo sermone ac libro cui nomen Timaeus scribitur*[2].

Postremo animadvertendum censeo Arnobium, quamvis studiosus sit Lucretii dicendi generis imitator, pro verbo substantivo verba quae sunt *stare* et composita nusquam cum dativo admisisse, quem usum e sermone vulgari depromptum esse iam L. I p. 90 sq. contendi[3].

§ 14. Dativus commodi et incommodi.

Dativo commodi aut incommodi qui proprie nominatur personam vel rem significari in quam verbi actio conversa sit notum est, ut personae vel rei commodo aut incommodo aliquid fieri exprimatur. Quem dativum, quamquam a poetis inprimis frequentissime usurpatum esse constat, per totam latinitatem occurrere haud rarum scimus. Ab Arnobio verbis saepenumero subiungitur, quibus motus e persona vel re dativo indicata in aliam partem versus significatur. In Arnobii libris huiusmodi repperi dativos[4].

[1] lacunam signavit Sabaeus: intercidisse putat Gelenius *quibus*, Ursinus *Castores, quibus*, Rigaltius *Tyndaridae Castores, quibus;* Brakmanus A. p. 12 haec verba expungere vult ante addito *Tyndaridae Castores.*

[2] Lorenzius p. 36 rhythmi gratia non sine causa scribendum esse censet: *Timaeus inscribitur* (cl. II), cui adversatur Brakmanus A. p. 36.

[3] Praeterea conferatur, si tanti est, Loefstedtius Plautinischer Sprachgebrauch und Verwandtes (Glotta III) p. 182 sqq.

[4] Antea p. 14 sqq. de dativo finali disserens nonnullos huiusmodi dativos iam commemoravi.

II *50 (87 18) *qui · · · causas* s i b i *auferunt lapsus*[1]; V 39 (208 26) *sub qua* s i b i *Attis virum · · · abstulit*; VII 51 (285 6) *quae · · · libertatem* h i s *abstulit.* II 24 (67 19) *non enim nos convenit fidem* r e b u s *abiudicare.* VI 7 (219 24) *ut* e i *sit abnegata telluris patriae sepultura.* I 18 (14 6) *mors omnia finiens et* c u n c t i s *adimens* s e n t i e n t i b u s *vitam.* I 46 (30 27) *qui* i n n u m e r i s *se hominum prompta in luce detexit.* I 24 (16 5) *ne stipes exiguas* c o n s u l t o r i b u s *excutiant iam* r a r i s[2]. Altero loco II 42 (82 6) *Idcirco animas misit · · · saporum fastidia ut excuterent* p a l a t o ablativus separativus potius deprehenditur. I 11 (10 27) *Numquid in culpa natura est, quod* l a n i t i i s *extulit inportunissimam beluam?* II 65 (100 12) *quam* r e p u g n a n t i b u s, *quam* i n v i t i s *extorquere in contrarium voluntates.* I 31 (21 8) f u g i e n t i b u s *ignosce;* VII 42 (275 2) *ut ignoscere debeamus* I o v i i n d i g n a n t i; (275 5) *ut* h u m a n i s *ignosceret* l a p s i b u s. I 9 (9 29) *quia* v e c t o r i b u s *impediat vota*[3]; de quo loco Hildebrandius: »Nota constructionis insolentiam, cuius alterum exemplum frustra quaesivi». I* 11 (10 28) *maledicas* p r i m o r d i s *rerum*[4]; V 8 (180 16) *Si contemptor aliquis · · · intendisset animum maledicere* d i i s v e s t r i s. De accusativo huic verbo adiecto videas antea p. 10. Praeterea conferas III 10 (118 26) s. v. *ingerere* p. 34. I 10 (10 10) *Pluit mundus aut non pluit;* s i b i *met pluit aut non pluit;* 30 (20 16) *Apollo* v o b i s *pluit, Mercurius* v o b i s *pluit?* I 28 (18 15) *qui · · · ab eo deposcimus* r e b u s f e s s i s l a n g u e n t i b u s q u e *tutamina;* III 42 (140 3) *a quo* r e b u s *auxilia et* n e c e s s i t a t i b u s *exposcat* h u m a n i s. I 49 (33 16) *qui* r e b u s *auxilium* d u r i s *contra impetum postulabat iniuriasque fortunae.* I 31 (20 28)

[1] *auferunt* Hildebrandius tamquam ex codice habet, *adferunt* in codice est, alii aliter scripserunt.

[2] Hildebrandius cum de hoc loco multum agit tum dicit:» · · · unde · · *consultoribus iam raris* non dativos sed ablativos absolutos credam ea sententia: ne quum iam consultores rari sint, removeant a se et amittant stipes exiguas, clamitant».

[3] *vectoris* perperam Heumannus. Falso Hildebrandius ad hunc locum comparat II 16 (61 11) *Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam,* quia *omnibus* sine ullo dubio ad *illis* est referendum.

[4] ita Ursinus, *maledicam si* Parisinus codex.

videas p. 42; IV *11 (149 15) *quia non supplices Mutuno procumbimus atque Tutuno*[1]. VII 49 (283 8) *innumeris gentibus civitatibus populis libertatis ius raptum est.* I 46 (30 22) *suo cuique utens · eloquio.*

Praeterea dativum commodi aut incommodi his locis statuendum censui:

I 59 (40 5) *contionibus litibus foro iudiciisque (servare);* II 66 (101 17) *redeunti (cludere);* III 35 (135 8) *sibi (sapere, sentire);* IV 2 (142 19) *nobis (tollere);* VII 26 (260 7) *cuiquam (in usum venire);* 42 (275 10) *sibi (currere).*

§ 15. Dativus dynamicus.

Dativus linguae latinae ubi quid commodo aut incommodo alicuius fieri dicitur eo modo nonnumquam ponitur, ut ad substantivum aliquod potissimum enuntiati referri videatur. Qui dativus, ut est quodam modo medius inter dativum commodi aut incommodi qui proprie vocatur et dativum ethicum, a poetis et a quibusdam posterioris latinitatis scriptoribus saepissime pro genetivo positus est[2]. In Arnobii libris huiusmodi dativos deprehendi:

I 3 (6 5) *qui potuit fieri ut eis rebus verba formaret?* V 6 (178 22) *Diligebat et Agdestis, blandus adulto comes*, ubi antecedens adiectivum ad dativi usum aliquantum videtur valuisse. II 65 (100 9) *Immo · · deus · · · convertat nobis mentes.* 70 (105 10) *vestrae <religiones> vobis in mentem non veniunt.* III 8 (116 18) *ne tamen et nobis inconsideratus aliquis calumniam moveat.* IV 7 (147 8) *infantibus parvis ossa;* 36 (170 22) *spectatoribus vacuis risus;* V 7 (179 16) *mammas sibi*[3]; (19) *genitalia sibi;* 11 (184 2) *sibi has partes;* 21 (193 6) *in sinum consecratis.* VI 22 (233 26) *miseris gaudia;* VII 18 (252 1) *nobis in manibus.*

[1] *Mutuno* Gelenius coniecit, *hoc ē uno* Parisinus praebet, *Tutuno* Sabaeus, *est ut uno* Parisinus.

[2] Conferatur Schmalzius Synt. p. 374 (§ 86).

[3] De hoc loco conferatur Meiser p. 30.

Ex locis supra allatis huiuscemodi dativos inprimis pronominum apud Arnobium inveniri videmus. Nonnullis certe locis dativum rhythmi gratia pro genetivo usurpatum esse concludi potest.

§ 16. Dativus auctoris.

Dativum cum verbis passivis coniunctum inde ab priscis temporibus usque ad cadentes litteras latinas notum est in usu fuisse, ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intelligeretur. Qui dativus cum ante Ciceronis tempus rarus admodum occurreret, a poetis posteriorumque temporum scriptoribus magis magisque pervulgatus est[1]. Quare Arnobium satis frequenter dativis auctoris usum esse minime mirum est. Nonnullis locis ad dativum commodi tam prope accedit, ut discerni vix possit.

Primum gerundio cum *esse* verbo coniuncto dativus apponitur nonnullis locis:

I 63 (43 14) *summa i l l i fuisset contentione nitendum?* II 54 (90 7) *Considerandum est n o b i s sollicite et cura inspiciendum non parva.* IV 1 (142 11) *erit v o b i s videndum.* V 2 (174 22) *ut sit v o b i s conitendum.* VII 23 (256 4) *nequaquam sumendum est a u r i b u s;* quo loco ablativus fortasse rectius statui debet.

Deinde gerundivis attributive vel praedicative positis dativus his ab Arnobio subiungitur locis:

I 54 (36 31) *et crediderunt haec ipsi et credenda p o s t e r i s n o b i s · · · tradiderunt.* — I 41 (28 1) *cur id v o b i s faciendum putetis;* 50 (34 27) *quod non omne donaverit faciendum p a r v o l i s i l l i s et r u s t i c i s;* *60 (42 8) *ut · · · omnis exequeretur res eas · · · faciendas · · · s e r v a t i s*[2]. I 38 (25 7) *honoribus quantis adficiendus est n o b i s.* I *13 (11 20) *hoc enim primum efficiendum est e i*[3]. — III 12 (120 3) *quaerendi sunt v o b i s altioris intellegentiae doctores;* IV 28 (165 6); 30 (166 5); V 38 (208 3); VI 12 (223 26).

Neque gerundio neque gerundivo ablativum ab Arnobio additum repperi. Nam hoc loco VII 37 (270 29) *quid ad eos aliud ab nobis*

[1] Inprimis conferatur Schmalzius Synt. p. 375 sq. (§ 89).

[2] *servatis* Gelenius proposuit pro codicis scriptura *servatus.*

[3] *ei* Gelenii est emendatio, *et* in codice est.

dicendum est pervenire nisi opiniones diis dignas? ab nobis quoque ad infinitivum *pervenire* pertinere apertum est.

Tum dativus auctoris verbis passivis, perfecti temporis participiis maxime et finitis formis, ab scriptoribus latinis adiungitur. Qui usus dativi apud Arnobium satis frequens occurrit. Haec enim exempla dativi auctoris inveni.

III 4 (114 7) *unde v o b i s compertum est vel quibus rationibus conprehensum?* VII 25 (259 14) *o · magnitudo · · n u l l i s hominum comprehensa, n u l l i s intellecta n a t u r i s.* Hoc loco haud scio an ablativus instrumenti agentis recte statuatur, cum partes enuntiationis propter artificiosum et contortum ordinem verborum Arnobii hunc in modum coniungi possint: *o magnitudo nullis hominum naturis comprehensa intellecta;* ceterum conferas I 31 (20 23). — II 13 (57 26) *cum vel ea vel talia reperiamini et vos dicere quae n o b i s dici pronuntiarique ridetis.* — IV 25 (162 6) *sepulturae esse mandatum Iovem n o b i s editum traditur?* — II 70 (104 22) *ante · · quam Alcmena · · · quam et Semela D i e s p i t r i factae* (cl. I) *sunt compressionibus fetae* (cl. I)[1]. Dativum *Diespitri* rhythmi gratia ad clausulam conficiendam ab Arnobio usurpatum esse arbitror neque ablativum agentis. *Diespitri* in lexico Georgii pro genetivo falso profertur[2]. VII 21 (255 2) *aut ut g e n t i b u s fieri moris diversissimi fama est, quae habentur h i s esui, aliorum eadem reiciuntur a victibus.* — I 12 (11 8) *v o b i s n e sit genitus et fabricatus mundus.* — IV 19 (157 2) *ignoratam s i b i ad lucem.* — II 54 (90 19) *sicut esse n o n n u l l i s opinatum et placitum repperimus*[3].

Cum dativo coniuncta reperiuntur participia quae in adiectiva abierunt multis locis:

cognitus. I 65 (45 22) cet. — **incognitus.** II 52 (89 14); 63 (99 5); 73 (107 23, 27) cet. — **notus.** V 37 (207 9). — **ignotus.** VII 5 (241 12).

Separatim commemoro dativum adiectivis participialibus *in*-praefixo negativo formatis haud paucis locis esse subiunctum.

---

[1] *diespaetri* (*ae* in *e*, *e* in *i* correctum) codex servat, *Diespitris* Hildebrandius impressit.

[2] Conferatur Scharnaglius II p. 5.

[3] Schmalzius recte testatur Synt. p. 375 (§ 89): Manchmal verdankt der Dativ seine Entstehung der Konzinnität.

I 5 (8 3) *cum · · · sint omnia · · nullis antiquitatibus inaudita.* II 52 (89 14) *potestas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis.* — I 43 (28 24) *incomperta vobis et nescia garrientes.* — V 36 (206 16) *quia cuncta · · · inexpeditissimum vobis est traducere.*

Uno demum loco dativus ad adiectivum cognatum relatus est: I 61 (42 13) *Latent involutae et vix ullis comprehensibiles causae.*

Cum adiectivo cognatae significationis dativus coniunctus est hoc loco III 13 (120 22) *sequitur ut habeant · · · suspensum imbricem narium, munctionibus muculentis et spiritali commeabilem tractui.* De VII 3 (239 28) videas p. 58 sub ablativo causae.

Uno loco ad verbum intransitivum dativus auctoris videtur esse relatus ab Arnobio: I 24 (16 9) *iacent antiquae derisui caerimoniae et sacrorum quondam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt;* sed potest *superstitionibus* hoc loco pro ablativo accipi causae[1].

§ 17. Dativus relationis.

Dativo latino ab scriptoribus interdum personam indicari notum est, cuius ex sententia valere perhibentur quae enuntiati verbis exprimuntur. Neque huius usus certa in libris Arnobii exempla invenimus, cum dativus ad aliquod adiectivum facile referri possit. His locis dativus ad huiusmodi dativi usum accedere videtur.

I 63 (43 20) *huic arduum fuerat letum cui vellet indicere?* V 20 (191 17) *non quo nobis dulce sit foedis inequitare mysteriis.* I 53 (36 11) *si quidem · · · nec ipso se homini quicquam potest carius inveniri.* I 48 (32 30) *indecorum deo est, non ipsum per se posse.* II 35 (76 5) *si omnipotenti credidimus regi nihil esse difficile, nihil arduum, si quod inpossibile nobis est factu, illi possibile atque ad modum obsecutionis paratum.*

Neque dativus cum participio praesentis aut perfecti coniunctus qui dativus rem considerantis a quibusdam nuncupatur ab Arnobio

[1] Schmalzius Synt. p. 375 (§ 89) explicat: wie man bei Intransitiven Abl. und *ab* setzte . . ., so lesen wir bei Dichtern *fratri iacet* und *cui consul in armis cecidit.*

usurpatur ad personam exprimendam cuius ratio habenda est. Qui dativus nonnumquam sensu remotiore admodum libere enuntiato appositus ab nonnullis pro dativo absoluto falso perhibetur[1].

§ 18. Dativus ethicus.

Dativus in graviore vel concitatiore oratione ita enuntiato additur, ut personam sententiae verbis interesse significet. Quare in enuntiatis hortationem interrogationem exclamationem exprimentibus plerumque usurpatur. Saepissime pronomina personalia in dativo posita esse constat. Apud Arnobium dativum ethicum his locis exstare adnotavi.

II 22 (66 2) *Procedat igitur n o b i s · · · nutritus;* III 20 (125 8) *quod deos n o b i s inducitis;* IV 3 (143 10); 26 (163 10); 29 (165 11). — II 13 (58 21) *Quid illi s i b i volunt secretarum artium ritus?* IV 5 (145 1) *Iam primum enim mundus ipse per se s i b i neque dexteras neque laevas · · · regiones · · · habet;* V 16 (188 13) *quid enim s i b i vult illa pinus?* Conferantur V 18 (190 13); 29 (200 12); 35 (205 21); 42 (211 8); VII 24 (257 9, 12); 32 (265 27); 38 (271 6), quibus omnibus locis cum *velle* verbo coniungitur dativus *sibi*.

Notanda est cumulata pronominum collocatio *ipse per se sibi*, qua in re Arnobium puto Lucretium esse imitatum, apud quem L. I p. 105 iam signavi hanc elocutionem occurrere *sibi per se* I 506, III 145, 684. Loefstedtius Per. p. 335 sqq., ubi de elocutione *per se* plurimis locis ex tota latinitate allatis optime ut par est agit, exempla apud Lucretium et Arnobium exstantia (excepto Arnobii V 14 (186 24) *ipsa per se*) non adnotavit.

§ 19. Dativus cum verbis compositis coniunctus.

Quam plurimis verbis cum praepositionibus compositis dativus solito more ab Arnobio subiungitur. Multis quoque locis structuras praepositionales admisit sine ullo discrimine. Quae verba quemadmodum coniunxerit cum dativo ut ostendam, omnia brevissime infra

[1] Conferatur Schmalzius Synt. p. 375 (§ 88).

adferam paucis locis fusius tractatis. Ex dativis cum verbis coniunctis saepissime dativum acquisitionis raro dativum commodi vel incommodi statui oportet.

accedere (intr.). II 44 (83 15) *his*.

accidere (intr.). IV* 2 (143 5) cet.

accommodare (tr.). II 8 (54 2) cet.

addere (tr.). I 11 (11 1) cet.

adferre (tr.). I 8 (9 6); 53 (36 9); 59 (40 10).

adfigere (tr.). I 40 (26 26); V 18 (189 24); 25 (197 6) cet. Praepositio *in* cum ablativo verbo adiecta est II 30 (73 16) *ubi spatium nullum est, in quo nota se possit ipsius contaminationis adfigere.*

adfingere (tr.). I 25 (16 15); 26 (17 14) cet.

adhaerere (intr.). IV 28 (164 20) *praestantiori naturae.*

adhibere (tr.). VII 8 (242 31) *medicina irato.*

adicere (tr.)[1]. VII 4 (240 6) *hostiae succensis altaribus.*

adiungere (tr.). II 56 (92 5); *71 (105 28); 74 (108 20) cet.

adludere (intr.). VII 17 (251 31) *porrigentibus.*

admovere (tr.). I 48 (32 8); 59 (40 18) cet.

adnectere (tr.). III 3 (113 11) *quicquid illis;* VI 1 (214 5) *quae his rebus.*

adnuere (tr.). V 36 (206 19) *vobis;* VI 11 (223 13) *veritati.*

adolere (intr.). II *59 (95 17) *quid ⟨in mundo faciunt⟩ herbarum aut fruticum aut adolentia naribus aut tristia in odoribus semina?*[2]. Qui locus nescio qua de causa non adnotatur in Thesauro L. L. s. v. *adoleo*[3], ubi ad recentiora dicitur: »confertur cum *oleo;* oritur sensus fragrandi» et post commemorantur verba PseudoApulei

---

[1] De vi verborum e *iaciendi* verbo derivatorum in vulgari sermone et apud recentissimae latinitatis scriptores nonnihil debilitata fuse agit Loefstedtius Per. p. 264 sqq. Praeterea de hoc loco Krollius A. p. 102 sq.

[2] *aut adolentia* tamquam e codice impressit Reifferscheidius, *suave olentia* Salmasius proposuit, *aut adulentia* habet codex Parisinus item correctores antiqui, *aut redolentia* scripsit Ursinus, *aut ad tactum dolentia* legi vult Klussmannus a codicis scriptura nimis recedens, *aut adulantia* in Thesauro reposuit Scharnaglius.

[3] Neque Arnobii locus in lexico latinogermanico Georgii (ed. VIII) adfertur.

De herbarum medicaminibus 42 7 *codas tres, quae adolent suaviter*, glossaria, inter dubia Plauti Casinae 236 (e codice B) *unde hic unguenta adolent?*, quo loco Schoellius *olent* defendit. Mihi quidem verba Arnobii hunc in modum coniungenda esse videntur: *quid herbarum aut fruticum semina naribus aut adolentia aut in odoribus tristia.* Quare *adolentia* hoc loco fere idem valere puto quod *bene olentia*, *redolentia*, cui voci opponuntur verba *(in) odoribus tristia.* Verisimile est Arnobium propter similitudinem falsa etymologia inductum verbum *adolere* cum *olendi* notione coniunxisse [1]. Ita in sermone vulgari factum esse ex locis PseudoApulei et Plauti supra allatis concludere possumus [2]. Ceterum verba Arnobii rhythmo optime convenire apertum est (*ado/lentia naribus, o/doribus semina* cl. II). *Adulantia*, quae Scharnaglii est emendatio a Krollio quoque defensa A. p. 109, quamvis facillima sit, ad sermonem Arnobii non aeque quadrare mihi videtur. Hoc verbo Arnobius usus est e. gr. I 39 (26 14) *si quando conspexeram lubricatum lapidem · · · adulabar, adfabar et beneficia poscebam.* De verbis *tristia in odoribus* videas velim quae agam postea sub ablativo relationis p. 56.

De codicis scriptura iam Hildebrandius adnotat: »*Adulentia* scripturam · · · non omnino damnaverim. Quoniam vero *adulescere* dixisse veteres constat eos non improbabile est etiam *adulere* pro *adolere* scripsisse.» Qua de re Thesaurum quoque adeas.

Fieri potest ut Arnobii animo obversati sint loci Lucretiani velut II 845 (ed. Briegeri) · · *nardi florem, nectar qui naribus halat* (cfr v. 848), II 510 *Namque aliis aliud retro quoque taetrius esset Naribus atque oculis orisque sapori* (cfr IV 617).

adplicare (tr.). I 59 (40 25) cet. *Ad* praepositionem cum accusativo adsciscit duobus locis II 14 (59 15) *si ad eius se misericordias atque indulgentias adplicarint:* 26 (70 2) *verum etiam · · has omnis · ad fines adplicat.*

adplodere (tr.). V 16 (188 24) *p e c t o r i b u s palmas.*

---

[1] Iam Hildebrandius dixit ad h. l.: »Tum *adolere* hic significationem habet *odorem spirare*».

[2] De eiusmodi vocibus falso derivatis optime agit Loefstedtius A. p. 57 sqq.

adponere (tr.). I 56 (38 4) cet.

adquiescere (intr.). II 11 (55 14) *nos credimus et adquiescimus Christo*, quo loco verbum antecedens ad dativum apponendum valuisse putamus; ceterum videas quae iam egi p. 17 s. v. *auscultare*[1].

adquirere (tr.). I 9 (10 1) *corpori siccitatem;* V 25 (197 1) *nomen generi.*

adrogare (tr.). I 48 (31 27) *tantum Christo;* II 62 (97 21) *plurimum sibi;* III 24 (128 27) *divis tutelaribus.*

adsciscere (tr.). I 38 (25 17) cet.

adscribere (tr.). I 16 (13 3) cet.

adsentiri (intr.). I 52 (35 18) *Hermippo;* V 34 (204 16) *vobis* 40 (209 16) *vobis.*

adserere (tr.). VII 13 (247 29) *causis caerimonialibus.*

adsumere (tr.). II 51 (88 8) *sibi scientiam.*

adtribuere (tr.). I 2 (5 10); *5 (7 21); 17 (13 13); 29 (20 2); 48 (32 16) cet.

anteponere (tr.). I 59 (41 13) cet.

anteferre (tr.). II 66 (102 4) *bona malis.*

circumicere (tr.). V 23 (194 20) *Vellem · videre · · ⟨Iovem⟩ circumiectas prolibus diripientem membranulas.*

coaequare (tr.). IV 1 (142 12) *quibus figmenta;* cum verbo coniuncta est *adiungere* verbi forma.

coalescere (intr.). II 12 (57 8) *veritati Christianae;* VI 17 (229 21) *vinctioni.*

conferre (tr.). II 38 (79 4) *quid rationibus;* VI 15 (227 13) *eis.*

coniugare (tr.). II 28 (71 6) *hominibus;* V 29 (201 1) *vobis.*

coniungere (tr.). II 16 (60 15) *se incorporalibus;* IV 23 (159 26) *eum personis;* V 39 (208 24) *primis institutionibus;* VII 44 (277 6) *ei.* His omnibus locis, quamquam interdum dubitari potest utrum dativus an ablativus statuendus sit, propter verborum sententiam dativum usurpatum esse existimo. Praeterea

---

[1] Schmalzius Synt. p. 372 dicit: wird *acquiescere = obsequi,* so finden wir seit Sueton *acquiescere alicui* öfters im Spätlat.

exstat adiectivum participiale *coniunctus* VII 37 (271 3) *nam pulticulae, thura · · · sunt · · parentalibus coniunctissima mortuorum.*

commiscere (tr.). VI 14 (226 10) *commixtum glutinum gypso:* rectius sine dubio ablativus statui debet.

commovere (tr.). IV 30 (166 1) *stimulos superis.*

comparare (tr.) i. q. *adaequare.* I 28 (19 2) *sibi.*

constituere (tr.). I 34 (22 11) *illi sedes et Capitolia.*

consulere (intr.). II 64 (100 2) *tibi;* 75 (109 14) *posterioribus.*

contingere (intr.). II 55 (91 28) cet.

contrahere (tr.). II 40 (80 18) *superlectilem egestati.*

contribuere (tr.). IV 6 (146 11) *habitudinem vasculis.*

convenire (intr.). II 23 (66 25) *cui negotio:* II *52 (89 24) *magnitudini et eminentiae;* IV *19 (157 4) *dignitati;* VII 20 (253 21) *nigris.* Semel adiecta praepositione *in* habet Arnobius VII 5 (241 24) *Nullis ergo rationibus convenit id in superis velle placare quod posse non videas in eorum beatitudinem convenire,* ubi haud scio an propter antecedentia verba *in superis* dixerit *in eorum beatitudinem,* cum dativus *beatitudini* ad clausulam III efficiendam aeque conveniat.

contradicere (tr.). I 31 (21 19) *contradicere rebus stultis;* II 57 (93 6) *cum alienis opinionibus contradicunt;* V 10 (183 7) *Non est facile contradicere tam prodigiosis conceptionibus tamque miris.*

contraire (intr.). I 1 (3 9) *statui · · · contraire invidiae.*

decedere (intr.). VII 13 (248 9) *viso viro:* quamquam de ablativo absoluto cogitari potest.

dedere (tr.). I 28 (18 20); 31 (21 14); 55 (37 21) cet. Uno loco *in* praepositio cum ablativo posita ex Hildebrandii coniectura exstat I 59 (40 11) *cum sciamus etiam quosdam in sapientia deditos*[1] *non tantum abiecisse sermonis cultum,* quam constructionem vocis Lucretio primo vindicari debere Hildebrandius testatur, qua de re egi L. I p. 76[2].

---

[1] Cl. II.

[2] *sapientia* in codice Parisino inest, *sapientiae* correctio cuiusdam viri docti est.

deperire (intr.). II 30 (73 21) *si · · · cum ipsis corporibus sensus eis deperit extinquiturque vitalis.*

derogare (tr.). I 57 (38 20) *neque enim · deus aliquis · · · ratione consimili nostris rebus et religionibus derogavit.* Quo de loco Hildebrandius iam dixit: »Hanc construendi rationem *derogare alicui*, quae conferri possit cum *obtrectare alicui*, altero exemplo confirmare nequeo«. Nuper Loefstedtius Per. p. 328 sqq., ubi de elocutione *deferre alicui* accurate egit, pluribus exemplis ex libris scriptorum recentissimae latinitatis prolatis hunc usum *derogandi* verbi cum dativo positi comprobavit; ceterum adeas Thesaurum L. L., ubi cum loco Arnobiano conferuntur verba Lactantii Institutionum I 22 7 ⟨*libri*⟩ *religionibus derogabant*, et conferas infra s. v. *detrahere*[1]. III 44 (141 2) *fidem ipsis rebus*; VII 44 (277 19. = 278 7) *suis honoribus*[2].

detrahere (tr.). II 28 (71 6) *rebus ingressis repetentiam;* IV 18 (156 18) *litteris his fidem;* VI 12 (224 9) *nudo Iovi cornua;* (224 15) *quibus habitum.*

exhibere (tr.). IV 4 (144 17) *omnibus aequabilitatem;* VI 8 (220 23) *praesentiam vobis quandam.*

eripere (tr.). II 12 (57 20) *vobis*; 77 (111 6) *vitam nobis;* VII 10 (245 5) *nobis opinionem.*

incommodare (tr.). I 7 (8 21) *Sed si per vos · nihil rebus incommodatur humanis;* (intr.) II 32 (74 22) *nobis.*

incubare (intr.). II 40 (80 22); V 1 (174 6) cet.

inculcare (tr.). II 65 (100 14) *animis.*

indere (tr.). I 56 (38 4) cet.

indicare (tr.). V 29 (200 23) cet.

indicere (tr.). I 3 (6 19) *sterilitatem terris;* 63 (43 21) *letum cui.*

indulgere (intr.). II 30 (73 24) *naturae.*

inequitare (intr.). IV 7 (146 24) *pudendis horrentique fascino;* V 26 (191 18) *foedis mysteriis;* VII 30 (263 21) *nobis.*

inesse (intr.). I 57 (39 4) cet. Dativum huic verbo subiungi

[1] Praeterea conferatur de usu huius verbi Ioh. Compernass Vulgaria (Glotta VIII) p. 98 sq.

[2] De hac parte corrupta libri VII conferas quae antea dixi p. 9.

verisimile est neque ablativum nude positum. Ablativus ex *in* praepositione pendens uno saltem loco usurpatur ab Arnobio II 49 (87 2) *quod in verrucula collis unius insint exiguae miculae*[1].

inferre (tr.). I 3 (5 18); 60 (42 2), quibus de locis iam antea egi p. 16. 63 (43 14); 65 (46 17) cet.

infligere (tr.). II 66 (101 25) *culpam saeculis;* IV 22 (159 1) *Iovi vestro;* VI 26 (237 8) *metus mortalibus;* VII 30 (263 27) *dis.*

infundere (tr.). I 59 (40 18) cet.

ingerere (tr.). III 6 (115 17) *quos nobis;* 10 (118 26) *diis probra.*

ingignere (tr.). I 33 (21 31) *cui.*

inhabitare (intr.). VI 17 (229 16) *quos ⟨deos⟩ dedicatio infert sacra et fabrilibus efficit inhabitare simulacris.* Propter antecedens verbum finitum *infert* dativum censeo esse statuendum neque ablativum loci, quamquam alias ablativum ex *in* praepositione pendentem huic verbo subiungi lexica monent.

inhaerere (intr.). II 11 (56 5) *callo.*

inhiare (intr.). V 4 (177 3) *cruori.*

inicere (tr.). V 1 (174 6); 2 (175 5); 6 (178 7); 7 (179 22) cet.

inligare (tr.). II 48 (86 4); 63 (98 26) cet.

inludere (intr.). II 13 (57 25) *nobis.*

imminere (intr.). II 12 (57 21) *sibi.*

immittere (tr.). I 5 (7 21); 43 (29 6, 9) cet.

innectere (tr.). III 27 (130 11) *cervicibus;* VI 16 (229 3) *quibus volatus.*

innutrire (tr.). I 51 (35 6) *terrenis stercoribus.*

impendĕre (tr.). VII 10 (244 28) *dis hostias.*

impendere (intr.). II 5 (51 9) *credituris.*

implicare (tr.). II 61 (97 14) *vos talibus;* VII 12 (246 10) *poenis et calamitatibus;* potest his locis de ablativo cogitari.

imponere (tr.). I 46 (31 7) cet.

importare (tr.). I 1 (3 18); 3 (5 22) cet.

imputare (tr.). I 5 (7 28) cet.

inrogare (tr.). VI 2 (215 3) *calamitatem nullis;* 27 (237 22) *poenas crudelitatibus.*

[1] Conferatur Draeger I p. 416.

inserere (tr.) i. q. *implicare.* I *30 (20 22) cet.

inserere (tr.). II 50 (87 24) cet.

inservire (intr.). I 9 (9 23) *tuis necessitatibus.*

insidiari (intr.). I 11 (10 26) cet.

insinuare (tr.). V 19 (191 5) *sacratis.*

insultare (intr.). II 45 (84 13) *virginibus et matrimoniis;* IV 25 (161 19) *genialibus alienis.*

intendere (tr.). II 67 (102 7); IV 34 (169 18) cet.

invehere (tr.). I 3 (5 17) cet.

invidere (intr.). II 45 (84 14) *gaudiis et felicitatibus.*

involvere (tr.). I 53 (36 25); 62 (42 22) cet. Plurimis locis ubi nominis forma dubitationem admittit, utrum dativus an ablativus statuendus sit ambigi potest. Ablativus his quidem locis usurpatus est: II 56 (92 14) *caligine;* V 7 (179 22) *veste.*

interesse (intr.). I 60 (41 24) *conciliis.*

intermiscere (tr.). VII 29 (263 10) *cenis potiones;* 33 (267 9) *symplegmatibus plurimis.*

interponere (tr.). IV 36 (170 21) *mimis et scurrilibus ludicris;* V 20 (191 16) *his.*

occurrere (intr.). VII 5 (241 30) *his.*

offerre (tr.). V 23 (194 20) cet.

officere (intr.). I 16 (13 4) cet.

oggerere (tr.)[1]. V 25 (196 14) *ardori potionem;* VII 5 (242 4) *fervidis atque flagrantibus.*

obicere (tr.). II 69 (103 20) cet.

obiectare (tr.). I 4 (7 8); 26 (17 8); 37 (24 26) cet.

opponere (tr.). II 13 (58 23); 39 (80 9) cet.

obrepere (intr.). V 9 (182 1) *pudori.*

obstare (intr.). II 35 (76 8) *voluntatibus.*

obtemperare (intr.). I 45 (29 25) cet.

ostendere (tr.). I 49 (33 2); 63 (43 27) cet.

ostentare (tr.). II 54 (90 20) *cruciatus nobis.*

obtingere (intr.). VII 10 (245 10) *singulis.*

---

[1] De hoc verbo exoleto agit Tschierschius p. 14, qui priorem locum Arnobii solum commemorat.

praecipere (tr.). VII 17 (251 21) *vobis.*

praeesse (intr.). I 2 (5 11) *disceptationibus.*

praeficere (tr.). II 65 (101 11) cet.

praeire (intr.). II 42 (82 12) *cantionibus obscenis.*

praelucere (intr.). V 24 (196 2) *sibi.*

praeparare (tr.). I 9 (10 5) cet.

praeponere (tr.). I 26 (17 15) cet.

praesidere (intr.). III 23 (127 1); 39 (137 13) cet.

praestare (tr.). I 59 (39 28) *intellectui tarditatem;* (intr.) *IV 3 (143 21) cet.

praestituere (tr.). IV 7 (147 2) *rebus.*

proferre (tr.). II 12 (56 20) *argumenta nobis.*

profundere (tr.). VII 30 (263 22) *superis merum.*

prolatare (tr.). I 64 (44 23) *posteris notas.*

proponere (tr.). II 5 (51 1); 33 (74 24) cet.

prosternere (tr.). I 27 (18 2) *huic omnes ex more prosternimur*[1].

providere (tr.). II 13 (58 16) *saluti.*

reddere (tr.). I 38 (25 10); 50 (34 11); 51 (35 3) cet.; conferas velim p. 16.

redintegrare (tr.) I 52 (35 26) *procreatis naturas.*

renuntiare (tr.). II 3 (49 24) *si insidioso renuntiaretis errori.*

restare (intr.). I 31 (21 11) *furiosae insaniae.*

restituere (tr.). I 48 (32 4); 50 (34 10); 51 (35 3); 63 (43 16, 17; 44 10) cet. VII 43 (276 26) videas p. 16.

succingere (tr.). VI *12 (223 23) *fabrili expeditioni*[2].

succumbere (intr.). VI 16 (227 24) *coctilibus testis.*

subdere (tr.). III 22 (126 18); 25 (129 7); 27 (130 1); 39 (137 10) cet.

subducere (tr.). V 23 (195 6) *terram nostris gressibus.*

[1] ita Sabaeus, *prosternimus* codex Parisinus.

[2] *expeditioni* coniecturae Stewechii debetur, in codice Parisino ablativus exstat *expeditione*, quem Krollius A. p. 88 recte defendit clausulae ratione habita (*expeditione succinctus* cl. I); ceterum de hoc loco agit Brakmanus A. p. 58.

subesse (intr.). V 33 (203 25) cet.

sufficere (tr.). III 32 (133 10) *animantibus victum.*

suffragari (intr.). VI 2 (215 9) *commoditatibus.*

suggerere (tr.). III 23 (127 13) *consilia nostris cogitationibus;* V 7 (179 14) *convivantibus cunctis furorem.*

subicere (tr.). I 50 (34 27) cet.

subigere (tr.). II 41 (81 15) *portiones dentibus.*

subministrare (tr.). I 2 (4 28) *lumini extincto;* IV 32 (167 21) *vires audaciae.*

submittere (tr.). I 23 (15 22) cet.

supponere (tr.). IV *13 (150 21); V 35 (206 8) cet.

subrogare (tr.). VII 45 (279 10) *viribus.*

substernere (tr.). II 34 (75 28) *nomini maiestatique;* V 33 (204 14) *notioni.*

subvenire (intr.). I 49 (33 12, 15) cet.

superaddere (tr.). VII 13 (248 5) *his.*

superesse (intr.). I 49 (33 6) cet.

superferre (tr.). VI 6 (218 16) *bustis.*

superfundere (tr.). VII 29 (*262 28) *cur eius superfundatur incensioni*[1]; (263 7) *id est vinum ⟨cur⟩ superfundatur altaribus.*

supericere (tr.). III 18 (124 8) *superiectas pupulis eum habere membranulas.*

superponere (tr.). I 48 (32 19) *sucos inquietantibus causis* V 36 (206 18) *interiori veritati;* VI 12 (224 6) *capiti petasunculum.*

superspergere (tr.). VII 16 (250 27) *Quid ergo cessatis ··· rebus · his omnibus conilam superspergere bubulam.*

§ 20. Dativus adiectivis et adverbiis appositus.

Dativus ab Arnobio adiectivis quam plurimis et adverbiis coniungitur. Quamquam non multa praebent adnotanda ad usum Arnobii illustrandum omnia adiectiva cum dativis ab Arnobio usurpata accurate in medium brevissime proferam paucis locis fusius explicatis.

[1] *ei s. incenso* optime ad codicis scripturam proxime accedens Loefstedtius A. p. 36 sq.

acceptus. VII 19 (253 7) *superis dis;* 26 (259 24) *voluntati.*

adcommodus. VII 21 (254 26) *his.*

adversus. I 21 (14 27) cet.

aequalis. II 19 (63 9) *summitati.*

condignus. I 27 (18 4) *ab hoc iusta et honesta et auditui eius condigna deposcimus*[1]. De *dignus* adiectivo et compositis videas postea p. 54 sq.

coniunctus videas antea p. 31 sq.

communis. II 36 (77 3) *multitudini;* 66 (102 3) *omnibus.*

consimilis. I 43 (28 28); 56 (38 10) cet.

consimiliter. VII 49 (283 4) *iussis consimiliter vatum*[2].

contrarius. II 28 (71 8); VI 2 (215 13) cet.

conveniens. I 23 (15 25); 51 (35 10); V 36 (206 17) cet.

familiaris. V 6 (178 1) *illi;* VII 6 (241 25) *diis*[3].

gratus. VII 19 (253 9) *diis laevis;* 20 (253 22, 29); 25 (259 4); 34 (268 20).

hostilis. IV* 4 (144 4) *huic.*

infamis. I 36 (23 6) *personis vilibus.*

infestus. I 35 (23 2) *nobis;* 36 (23 5) *vobis.*

invisus. II 1 (47 3) *quibus.*

iucundus. VII 17 (251 28) *vobis;* 18 (252 14) *alteri;* 28 (262 1) *eis.*

liber. II 61 (97 14) *vestris rationibus;* V 34 (205 2) *unicuique.* Aliter adiectivum cum ablativo usurpatum exstat, qua de re videas p. 61.

liquidus. I 20 (14 25) *cunctis;* V 42 (211 5) *vobis;* VI 20 (231 23) *vobis.*

mitis. VII 26 (260 15) *hominibus.*

necessarius. I 59 (40 27) cet.

nescius. IV 8 (147 27) *vobis.*

---

[1] Conferatur Schmalzius Synt. p. 380 (§ 97 n.)

[2] De hoc adverbio II 48 (85 23) posito agit Loefstedtius Beitr. p. 110 sq.

[3] De hoc adiectivo et adverbio derivato *familiariter* conferas quae scripsi R. I. p. 27 sq.

obnoxius. II 29 (72 10); 30 (73 13); 62 (97 22) cet.

obviam. IV* 32 (167 18) *tantae temeritati;* V 3 (175 26) *suis significationibus;* VI 26 (237 4) *multitudini.*

placidus. II 13 (58 22) *vobis.*

praesto. IV 4 (144 10) *gratiosis opitulationibus;* 7 (146 23) *maritis;* (29) *putationibus.*

promptus. V 20 (191 18) *vobis;* 43 (211 24) *omnibus.*

proximus, proxime. I 8 (9 14) *vero;* III* 40 (138 23) *veritati;* IV 32 (167 19) *turpitudini;* 35 (170 5) *diis* cet.

saluber. I 59 (39 27) *nobis.*

salutaris. II 55 (91 25) *omnibus;* VII 49 (283 5) *populo.*

secundus. I 21 (14 26) *vobis.*

similis. VI 21 (232 23) *inpuberi.*

suetus. I 2 (5 1) *Animalia terris sueta · · · non suriunt;* VII 43 (275 29) *ruri hominem suetum.*

vicinus. I 28 (19 15); *37 (24 19) cet.

Cap. V.

Ablativus.

§ 21. Locativus et ablativus loci.

Locativum et postea ablativum ab scriptoribus latinis ad locum ubi quid sit significandum usurpari solere omnibus notum est. Sed loci ablativis praepositiones a recentioris inprimis latinitatis scriptoribus saepenumero adiectas esse constat [1]. Apud Arnobium ad praepositionum usum rhythmi rationes aliquantum valuisse multis ex locis facile nobis apparet. Itaque locativi et ablativi loci sive nude positi sive e praepositione pendentes ab Arnobio mixtim usurpati reperiuntur [2].

Primum nomina propria ab Arnobio in locativo et ablativo posita aliorum secutus exemplum in medium proferam.

---

[1] Conferatur Schmalzius Synt. p. 387 (§ 105) et 392 sq. (§ 110).

[2] De praepositionum usu conferatur Loefstedtius A. p. 52 sq.

Nomina urbium et regionum in locativo posita his locis exstant:

VI 6 (218 17) *Antiochus · Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terrae;* 23 (234 14). VI 23 (234 15) *ubi Dodonaeus Iuppiter, cum Dodonae ⟨iacuit solutus in cinerem⟩?* VI 23 (234 15) *ubi Diana, cum Ephesi ⟨iacuit⟩?* I 36 (24 1) *Apis Peloponensi proditus et in Aegypto Serapis nuncupatus?* IV 14 (152 1) *quem Rhodi peperit heroicis temporibus Acantho.* IV 25 (161 22) *ut Herculem Sardibus ⟨conscriptum est mercennariam servitutem servisse⟩* [1].

Ad locum vel regionem designandam ab Arnobio saepius ponitur praepositio *in* vel *apud* velut II 12 (57 2) *quae in India gesta sunt, apud Seras Persas et Medos, in Arabia, Aegypto, in Asia, Syria, apud Galatos Parthos Phrygas, in Achaia Macedonia Epiro, in insulis et provinciis omnibus · · ·, ipsam denique apud dominam Romam;* V 7 (180 13) *Quibus contentum beneficiis Agdestim consecrasse corpus in Pessinunte* (cl. III). Praeterea videas editionem Hildebrandii ad II 12 et Indicem III Reifferscheidii s. v. *apud* [2].

Nomina appellativa ad loci notionem exprimendam ab Arnobio cum praepositionibus fere ubique coniungi solent. Quorum nominum ablativos perpaucis locis nudos positos esse constat, de quibus infra accuratius agam. Haec apud Arnobium reperiuntur substantiva:

altaria. II 76 (110 5) *cur et vos · · · acerras omnes · · conficiatis altaribus* (cl. II); VII 8 (242 27) *si gallinulam, vitulum · · altaribus concremaro* (cl. III); 25 (258 21) *ut haec · · · sacris · adoleantur altaribus* (cl. II); 37 (270 25) *qui · · sacris · incendit altaribus* (cl. II) [3] *thus.* His omnibus ex locis apparet ablativo in fine enuntiati nude posito clausulam ab Arnobio optime effingi [4]. Uno loco ablativus ex *in* praepositione pendens media in enuntia-

---

[1] *Sardibus* Ursinus impressit pro corrupta codicis scriptura *sordibus.*

[2] Conferantur de praepositionum usu Schmalzius Synt. p. 395 sq. (§ 112) et p. 412 sq. (§ 147) nec non Loefstedtius Per. p. 252 sq.

[3] *thus* a Reifferscheidio prorsus sine causa additum esse Loefstedtius A. p. 99 optime demonstrat.

[4] Praeterea conferri potest VII 4 (240 6) p. 29 s. v. *adicere* (cl. II).

tione invenitur VII 27 (261 15) *quid interest, unde fumus altaribus*[1] *conficiatur in sanctis*[2].

corpus. II 13 (58 20) *ne velut trabalibus clavis adfixi · · · corporibus haereatis;* nisi forte *corporibus* pro dativo ad antecedens participium referri debet. Alias *haerere* verbo subiungitur *in* praepositio cum ablativo II 27 (70 16); IV 25 (161 19).

fanum. VI 6 (219 11) *qui publicasset quibus Apis iaceret absconditus;* praecedunt paulo ante verba: *Infinitum est et inmensum quibus quique in fanis toto sint in orbe describere.*

fornax. VI 14 (226 14) *Simulacra ista · · · in formas · · exierunt, fornacibus incocta figulinis.*

locus alias in ablativo nude ponitur velut VII 43 (276 23) *loco priore;* 49 (283 18) *oris loco* alias e praepositione dependet e. gr. IV 29 (165 11) *hoc in loco;* 37 (171 21) *hoc in loco;* VII 25 (258 22) *in hoc loco.*

mundus. VII 11 (245 22) *unde sunt mundo tanti tamque innumerabiles miseri?* nisi forte dativus possessionis statuendus est.

regio. I 37 (24 22) *qua innati regione, qua gente* ⟨*singuli fuerint*⟩. Ad similitudinem ablativi originis accedit hoc loco, praecedunt enim verba: *quibus singuli patribus, quibus matribus fuerint procreati.*

sedes. II 17 (62 4) *Nonne alia cernimus opportunissimis sedibus nidulos sibi construere?*

templum. I 37 (24 15) *quos iam templis habetis vestris.*

uterus. I 37 (24 25) *scientes uteris esse gestatos*, quo loco ablativo instrumenti haud dissimilis est.

Ex locis supra allatis Arnobium nudo ablativo ad loci notionem significandam admodum raro usum esse videmus. Nonnullis locis *in* praepositionem prope positam esse apparet, aliis verbum regens cum *in* praefixo esse compositum, aliis ablativum ad similitudinem ablativi instrumenti accedere[3].

---

[1] Clausula II.

[2] Clausula I.

[3] De praepositione non iterata agit ad VI 3 (216 27) Loefstedtius A. p. 89. Conferatur Hildebrandius quoque ad I 37 (24 15).

§ 22. Ablativus temporis.

Ablativum localem ad indicandum quo tempore aliquid fiat inde ab initiis litterarum latinarum poni constat. Saepenumero ablativis temporis praepositio adiungitur, ubi nomen adiectivo vel substantivi genetivo non definitur. Ab Arnobio ablativus et nudus et cum praepositione coniunctus sine ullo fere discrimine usurpatur. Iam diximus p. 12 Arnobium recentiorum scriptorum more ablativo usum esse ad actionem per temporis spatium continuatam significandam velut II 25 (68 22) *quamvis a n n i s vivat i n n u m e r i s.* Ex Arnobii libris hos ablativos temporali sensu usurpatos adnotavi mentione dignos [1].

VII 39 (272 7) *Nam et ipsi · · · esse positum scimus, l u d i s quondam ipsis c i r c e n s i b u s · · · patremfamilias quendam · · · servum · · · transduxisse caesum virgis.* — V 9 (181 27) *cum ab Iovis ipsius maledictis nullam pausam facere vel exigui temporis i n t e r c a p e d i n e quiveritis.* — I 31 (20 28) *cui t o t a conveniat v i t a genu nixo procumbere et continuatis precibus supplicare.* Ablativum *tota vita* primum apud Catullum (109 5) occurrere et Schmalzius Synt. p. 356 (§ 59 n. 4) et Loefstedtius Per. p. 52 testantur. Hildebrandius autem miratus omnes omnino interpretes hunc locum sicco pede transsiluisse dicit: »*Tota vita* enim aut nominativus aut ablativus esse potest, qui posterior ob sententiarum connexionem ferri nequit, prior grammaticorum regulis adversari videtur». Quare non solum verba *tota vita* idem significare contendit quod omne vitale sed etiam *vita* nominativum esse cum *conveniat* artissime coniungendum. Quia praecedunt verba: *dignus, dignus es vere · · ·, cui spirans omnis intelligensque natura et habere et agere numquam desinat gratias* videtur mihi Arnobius hoc loco dicere voluisse: *cui omnem naturam conveniat tota vita procumbere et supplicare.* Nam secundum usum Arnobii haud raro subiectum enuntiati aut obiectum ex antecedentibus oportet suppleri.

---

[1] Conferatur Schmalzius Synt. p. 388 (§ 106); Brakmanus A. p. 33.

§ 23. Ablativus sociativus.

Ablativum ad personas vel res indicandas quae aliquem quasi comitari in re gerenda dicuntur ab scriptoribus latinis admodum raro usurpari a grammaticis demonstratum est. Ablativi sociativo sensu ab Arnobio positi cum praepositione *cum* coniuncti fere semper apparent. Cuius generis ablativi si qui nudi sine praepositione occurrunt participiis adiectis pro ablativis absolutis sunt habendi. Quapropter nisi paucos locos adferre non potero, ubi ablativus ad similitudinem sociativi videtur accedere.

I 28 (19 1) *Templa · · · sublimibus sunt elata fastigiis;* VI 6 (218 11) *templa, quae tholis sunt aureis et sublimibus elata fastigiis;* his locis ablativo qualitatis simillimus est. — II 67 (102 25) *sacras facitis mensas salinorum adpositu et simulacris deorum?* quo loco ablativus ad instrumentalem significationem accedit [1].

§ 24. Ablativus comitatus.

Ablativo sociativo simillimus est ablativus comitatus quo res actionem vel statum quasi comitantes indicantur. Cuius generis ablativi saepissime apud scriptores prosae orationis aureae aetatis attributiva determinatione definiuntur, apud poetas vero et recentiores inprimis scriptores sine ullo additamento positi occurrunt. Ablativis comitatus *cum* praepositionem ab scriptoribus latinis sine ullo fere discrimine adiungi notum est [2]. Apud Arnobium paucos inveni ablativos comitatus sine *cum* praepositione usurpatos his locis: II 55 (91 4) *Cur ergo haec mala deus · · · perpetitur · cum omnibus saeculis pertinaci continuatione procedere?* — I 2 (4 3) *Ac primum ab his illud familiari et placida oratione perquirimus.* — II 30 (73 7) *si verum est animas · · · cum omnibus saeculis aevorum perpetuitate procedere.* — I 2 (5 5) *Ipsi homines denique · · · non matrimonia copulant nuptiarum solemnibus*

[1] Loefstedtius Per. p. 162 sqq. quam plurimis exemplis prolatis *faciendi* verbum apud scriptores latinos idem ferme significare ostendit quod *parare, apparare* ('sich bereiten', 'sich verschaffen').

[2] Conferatur Draeger I p. 535 sqq.

iustis? — I 2 (4 13) *Numquid vertigo haec mundi · · · praecipiti coepit volubilitate raptari?*

De *cum* praepositione ablativo addita videatur Reifferscheidii Index III p. 316, quo loco commemmorantur VII 10 (244 30) *cum gaudiis;* II 31 (74 2) *cum officio iustitiaque*; 18 (62 19) *cum processu temporum.*

§ 25. Ablativus modi.

Saepius quam ablativo comitatus ablativo modi utuntur scriptores latini, ut indicent quo quid modo fiat. Qui ablativi saepissime attributiva determinatione definiuntur neque omnino cum praepositione *cum* coniunguntur. Apud Arnobium multi exstant huiusmodi ablativi substantivorum modum vel rationem significantium, quorum plurimi iam antea usurpari solent. Nonnullis locis rhythmi quoque gratia *de ex* praepositio ablativo adiecta est. Apud Arnobium ablativum modi his locis occurrere censui.

genus [1]. V 38 (208 1, 5) *allegorico genere.* III 18 (124 3). *Suo forsitan genere, non nostro.* II 22 (65 27) *hoc genere.* I 61 (42 12) *Quare isto voluit et illo genere noluit?* V 38 (208 3). II 63 (99 8); 74 (108 29); V 36 (207 3) *quo genere.*

lex. I 62 (43 3) *lege humanitatis;* I 11 (10 24) *aliis legibus;* I 59 (41 12) *femininis legibus;* I 2 (5 2) *sua lege.*

modus. I 50 (34 15); 59 (41 16) cet. *hoc modo;* II 7 (52 25); 59 (94 20); 74 (108 26) *quibus modis;* I 63 (43 22) *modo alio;* II 74 (109 2) *illo modo.*

mos. I 2 (5 2) *Animalia · · · fetus non · · · suis moribus et sua lege custodiunt?* I 60 (41 22) *more humano;* I 62 (42 17) *more hominis*; cfr V 40 (209 17) [2]; V 44 (212 7) *more allegorico.*

Praepositio adiungitur rhythmi fortasse causa his locis V 1

---

[1] Roenschius It. p. 314: *genus = modus,* quod compluribus locis allatis probat.

[2] De loco ab interpretibus maxime vexato VII 50 (284 2) fuse disputavi G. p. 14 sqq.

(174 2) *more de solito*; VII 24 (257 17) *arvina est · catillaminum insecta de more* (cl. I); V 28 (200 1) *index decedit atque ex more sepelitur humano* (cl. I) cet.[1].

pactum. I 9 (9 26) cet. *hoc (quo) pacto*.

ratio. II 75 (109 25) *rationibus fixis;* I 9 (10 1); 16 (12 18); 57 (38 20) cet. *consimili (absimili, comparili) ratione;* I 65 (46 25) cet. *alia (nulla) ratione;* I 47 (31 10) *ea ratione;* I 59 (41 8) cet. *ratione eadem;* I *3 (6 2) cet. *qua(nam) ratione;* I 59 (41 18) cet. *quibus rationibus;* II 74 (108 28) *ullis rationibus*.

ritus. I 64 (45 5) *beluarum agrestium ritu;* praeterea conferantur II 23 (67 9); III 10 (118 7); 14 (121 8); VII 17 (251 30); 43 (276 7), quibus locis ablativus genetivo nominis semper determinatur. III 42 (140 5) *dissimillimis ritibus;* III 43 (140 23) *alienis ritibus;* V 39 (209 1) *ritibus annuis*.

(spons). I 40 (27 3); 55 (37 16) cet. *sponte;* item passim *sua sponte*.

via. II 48 (85 28) *qua via?*

vices. I 15 (12 10) *vicibus ludicris;* II 8 (53 22) *vicibus temporariis*.

Haud raro Arnobius substantivorum ablativos nulla determinatione adiecta ponit adverbiorum instar velut his locis passim ex opere excerptis[2]: I 40 (27 7) *quia iniuria expulsus e vita est;* II 13 (58 2) *qui estis unius mentis et per easdem vias placitorum inceditis unitate;* 58 (94 5) *Sua ipse se sponte et voluntate circumagat?*[3] 65 (100 17) *cur respuis adsumere voluntate?* III 10 (119 1) *quam vel obtentu pio talia de his monstra opinionum indignitate praesumere;* V 6 (178 9) *Exhalata ille vi meri corripit se impetu*.

[1] Conferatur Brakmanus A. p. 3 et 34.

[2] Recte Schmalzius Synt. p. 379 (§ 96 n.) docet: Bei den Afrikanern wird daher nicht selten der Abl. eines abstrakten Substantivs statt des Adverbs des entsprechenden Adjektivs gebraucht. Conferas velim quoque Spindlerum p. 51 e): Genetivus aut Ablativus aequatur adverbio.

[3] II* 61 (97 15) *Vestris non est rationibus liberum, inplicare vos talibus et tam remota inutiliter curare*, quo loco adverbium Sabaei ex coniectura editum est, rhythmus codicis scripturam servandam esse docet: *inutilitate curare* (cl. I).

§ 26. Ablativus qualitatis.

Ad ablativum comitatus proxime accedit ablativus qualitatis quo qualis persona quaedam vel res sit indicatur. Qui ablativus et verbo substantivo aliisque adiungitur et cum nominibus coniunctus attributivi loco adhibetur[1]. Eodem modo genetivum ad qualitatem designandam ab scriptoribus usurpari notissimum est. Sed ut ablativus in prisca latinitate genetivo multo est usitatior, id quod de Lucretii quoque dicendi genere accurate ostendi L. I p. 47 sqq. et II G. p. 18, ita genetivus apud recentiores longe frequentissimus est. Quare Arnobius, ut est vetustioris dicendi generis studiosus, ablativo in qualitate significanda creberrime usus est, quamvis genetivum plurimis locis usurpet. Ablativi apud Arnobii usum liberum esse videmus, quia alias ad similitudinem ablativi comitatus accedit alias ablativo proprio originis similis est.

Primum ablativus qualitatis praedicativi loco adiungitur praedicato enuntiationis verbo substantivo similibusque.

esse. IV 16 (155 4) *quis arbiter c e r v i c i b u s t a n t i s erit?* — IV 34 (169 20) *cum sit rectius multo · · · quam esse illos tales t a l i q u e e x i s t i m a t i o n e sentire.* — II *23 (66 19) *q u o g e n e r e singula esse debeant esui.* Altero loco V 24 (195 14) *cum · vestra · aut in simili foeditate aut turpitudinis genere reperiantur esse maiore* praepositio *in* ex more Arnobii solito in membro enuntiationis altero videtur esse omissa. — III 34 (134 7) *Non indocti apud vos viri · · Dianam Cererem Lunam caput esse unius deae † t r i v i a l i g e r m a n i t a t e pronuntiant*[2]. — VI 23 (234 28) *quia cassa sunt et*

---

[1] Conferatur R. M e t h n e r Die Entstehung des Ablativus qualitatis und sein Verhältnis zum Ablativus modi und zum Ablativus absolutus. Glotta VI p. 33 sqq.

E d w a r d s (*Ingenium* in the Ablative of Quality and the Genetive of Quality) optime animadvertit: the historical factor is of very great importance for the understanding of our constructions.

Praeterea de his rebus agit Loefstedtius Per. p. 160 sqq.

[2] Loefstedtius A. p. 58 optime codicis scripturam *triviali* defendit, quam Reifferscheidius corruptam esse contendit.

nullis habitatoribus tecta[1]. — II 29 (71 27) *cum sit inops, paupere lare et tugurii pauperis nec patriciae claritatis unquam meritus nuncupari*[2]; VII 12 (246 24) *si · · · alter angusto lare sed innocentia fuerit et probitate locuples.* — II 39 (80 5) *quae · · · mente fuerant una, intellectu et scientia paribus.* — II 49 (86 14) *Sed et boni · sunt in rebus humanis viri · · · inculpatis atque emendatissimis moribus.* — III 14 (121 20) *Ergo esse dicendum est quosdam capitones · · · hos displosis naribus, illos resimis, nonnullos turgentibus malis aut buccarum cumulatione ** acriroces.* — II 31 (74 4) *eas alii dicunt mortali esse natura;* VI 19 (231 7) *quae sunt priva singulariaque natura*[3]. Ablativo *ex* praepositio addita est V 2 (174 27) *si ex numero sunt deorum et ex illa perpetua immortalique natura*, ubi structurae concinnitas ad praepositionem ponendam videtur valuisse. — II 35 (76 15) *nomine quocumque sunt alio;* cfr III 40 (138 16) *Hos Consentes et Complices Etrusci aiunt · · · sex mares et totidem feminas, nominibus ignotis et miserationis parcissimae.* — V 6 (178 21) *ore fuerat quod excellentissimo.* — II 22 (66 9) *quisnam sit ipse aut quo patre*, ubi ablativus originis ablativo affinis est. — III 6 (115 24) *sed minime illos esse qualitatibus comprobarent eis adiunctis*[4]. — VI 10 (221 25) *luna · · · vultuque est uno.*

manere. II 58 (94 15) *cur* ⟨*luna*⟩ *una specie aut illa non maneat?*

Deinde ablativus qualitatis cum nominibus substantivis determinationis attributivae loco coniungitur his locis: VI 25 (236 12) *semitectis femoribus Diana;* praecedit saepius *cum* praepositio ablativo addita velut ante haec verba: *Fortuna cum cornu pomis ficis*

---

[1] Scharnaglius II p. 5 hunc locum sub dativo profert.

[2] *paupere* Kettnerus, *pauper* codex Parisinus. De ablativi et genetivi qualitatis inter se iunctura Spindler p. 50.

[3] *priva* Ursini est coniectura, *privata* in codice Parisino est, quam vocem Loefstedtius A. p. 34 recte recepit.

[4] De scriptura loci ab editoribus perperam vexati conferantur velim quae luculente profert Loefstedtius A. p. 72 sq.

aut frugibus autumnalibus pleno. Pari modo paulo ante legimus: (9) *Aesculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus.* — VI 25 (236 4) *fronte Ianus ancipiti.* De varia structura verborum huius loci videas quae supra dixi. Paulo post Arnobius dicit: (13) *Anubis canina cum facie.* — II 30 (72 23) *qui · · credat · · · posse aliquid nocere · · · caenosis gurgitibus paludes.* — IV 13 (151 13) *iudicii acris viri atque ingenio perspicaci;* 20 (157 12) *ingeniis lautioribus homines;* VI 22 (233 25) *quoniam mites et ingeniis tranquillioribus deae sunt.* — V 31 (202 15) *Quis · · · ⟨edidit⟩ adultos venustissimis lineis adpetitos esse inceste?* — II 11 (65 3) *accipiamus deinceps mox aliquem natum · · · Platonica licet aut Pythagorea progenie aut horum alicuius.*

Compluribus locis ablativum ex *cum* praepositione pendentem ad qualitatem designandam usurpatum invenimus velut II 75 (109 15) *Nonne · auditis · · · fuisse homines olim semideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vastis;* IV 5 (146 1) *quas esse faustas et prosperis semper cum ominibus ediderunt;* VI 12 (223 16) *Itaque Hammon cum cornibus iam formatur et fingitur arietinis, Saturnus cum obunca falce · · ·, cum petaso gnatus Maiae · · ·, Liber membris cum mollibus* et qu. s. Ceterum videas supra.

His de exemplis apparet Arnobium raro admodum ablativum ad qualitatem indicandam usum esse. Aliis locis Arnobius, cuius proprium est maxime ut sermonem varie permutet, verba inter se cohaerentia multis modis connectens ablativum et genetivum qualitatis inter se coniungit, aliis locis ablativum una cum nomine adiectivo vel participio ponit. Ad structuram variandam rhythmum uti semper in sermone Arnobii maxime valuisse omnibus perspicuum est. Praeterea conferas velim quae de genetivo qualitatis postea dicam.

§ 27. Ablativus viae.

Ablativus a latinis scriptoribus nonnumquam prosecutivo sensu ponitur, ut viam designet qua quis iter facere dicitur vel portam qua quis introire vel egredi perhibetur. Apud Arnobium ablativum ad similitudinem ablativi viae uno loco prope accedere puto: II 16

(61 9) ⟨*animantia*⟩ · · · *superfluas foeditates inferioribus egerunt abiciuntque posticis;* sequuntur verba: *et nos · · · quod natura iam respuit per eosdem effundimus tramites.* Similiter *per* praepositio ad viam significandam saepius usurpatur.

Praeterea ablativi adiectivorum et pronominum singularis numeri, qui pro adverbiis vulgo ducuntur, haud paucis occurrunt locis, quos enumerare supersedeo, cum non multum praebeant peculiare.

§ 28. Ablativus instrumenti.

Ablativo latino instrumentum quo aliquid efficitur quam saepissime indicari notum est. Qua in re quoniam ab pedestris orationis regulis haudquaquam recedit sermo Arnobii, qui ablativi instrumenti occurrant accuratius percensere prorsus inutile duco. Quamobrem ea huius ablativi exempla perlustrabo quae structuras adnotatione dignas exhibent.

Notum est ubi personae instrumenti partes agunt ab scriptoribus latinis *per* praepositionem una cum accusativo usurpari vel ablativos *culpa merito opera vitio* cum genetivo coniunctos poni solere. Nihilo minus Arnobius e more poetarum recentiorumque scriptorum haud paucis locis utitur ablativo instrumento nudo ad personas indicandas per quas aliquid agi dicitur[1]. Cuius generis in Arnobii libris haec repperi exempla.

I 39 (26 18) *Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus omnia ista quae sint scio;* 41 (27 27) *Nonne ipsum Romulum patrem · · · et sacerdotibus et pulvinaribus honoratis?* 57 (39 6) *Testibus enim haec, illa opinionibus adseruntur;* II 11 (55 15) *cum utrique auctoribus stemus*[2]*;* 71 (106 2) *ut vos idem vestris*

[1] Schmalzius Synt. p. 383 (§ 101 n. 5) animadvertit hoc tantum: auch das Spätlat. weist noch Beispiele, wenn auch selten, auf, uno loco ex Cassiani Conlationibus allato.

[2] *stemus* Gelenii sagacissima est emendatio pro codicis scriptura corrupta *tempus*, quae rhythmo quoque (cl. I) commendatur, quamquam Hildebrandio concedendum est ablativum solito liberius positum esse. Ad usum verbi Draeger I § 236 adnotat: »*stare aliqua re* 'bei etwas beharren', 'sich begnügen', 'sich auf etwas verlassen'».

scriptis atque auctoribus traditis; III 35 (134 19) *vobis laudatoribus elevati* ··· *definiunt;* IV 13 (150 23) *Possumus instituti veris auctoribus dicere;* 26 (162 15) *quibus in feminas sanctos incaluisse caelestes vestris proditum litteris atque auctobus continetur;* 26 (163 17) *Hyacintho est alius occupatus;* V 7 (180 14) *Agdestim consecrasse corpus in Pessinunte, caerimoniis annuis et sacerdotiorum antistibus honorasse;* 13 (186 10) *qui uxore adulescentulum vinciebat;* 41 (210 6) *At vero vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graves;* VI 20 (231 27) *aedituis mille protegitis atque excubitoribus mille;* VII 22 (255 18) *quod Tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis, ergo et musicis Apollo, quod musicus, et quod medicus Aesculapius, medicis, et quod faber Vulcanus est, fabris, et quod Mercurius eloquens, eloquentibus debet disertissimisque mactari;* 44 (278 20) *vobis ipsis obtineremus auctoribus.*

Praeterea ablativos nominum personarum *a ab* praepositione addita verbis passivis et intransitivis apponi notissimum est. Eodem modo substantiva quibus significantur animalia adiecta praepositione usurpari solent velut I 3 (6 24) *Ab locustis, a muribus genus omne acciditur atque adroditur frugum.*

Ex his exemplis apparet Arnobium ablativo nudo instrumenti usum esse aliis locis praecedente vel sequente ablativo propter concinnitatem verborum, aliis locis rhythmi gratia ad clausulam formandam. Nonnullis locis velut I 39 V 41 VII 44 ablativus ad similitudinem ablativi absoluti accedere videtur.

Iam complures interpretes Hildebrandius Reifferscheidius Scharnaglius Loefstedtius quam plurimis exemplis allatis ostenderunt praepositiones *ab de ex in* ablativo instrumenti apponi solere. Qua de re Loefstedtius A. p. 52 sq. multis locis enumeratis praepositiones *de ex* additas esse ab Arnobio monuit, ut bonas effingeret clausulas. Recte enim Loefstedtius A. p. 48 sqq. animadvertit rhythmum in sermone Arnobii non solum ad verborum ordinem formasque verum etiam ad rationes syntacticas aliquantum valere.

Idem recte adnotat *de* praepositionem ad hiatum evitandum post vocalem praecedentem esse usurpatam.

Substantivis quoque res indicantibus e verbis passivis pendentibus *a* praepositio ab Arnobio de more solito interdum apponitur, quod in personarum nominibus fere semper observatum est, ob structurae concinnitatem vel ad clausulam efficiendam velut VII 40 (273 14) *Responsum deinde ab haruspicibus editum, res scaevas tristissimasque portendi ab incendiis, caedibus, ab legum interitu et ab iuris occasu, maxime tamen ab domesticis hostibus atque ab impia coniuratorum manu.*

Haud paucis locis cum ablativo inprimis verbis passivis adiecto *in* praepositio coniungitur, ubi abundare videtur, ut dicit Hildebrandius. Ex eius generis locis enumerabo I 39 (26 10) *Venerabar* · · *nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos;* IV 4 (144 9) *nominis sui vim perdet, quod partis unius in pulsione formatum est;* VII 21 (254 11) *quid facinoris in hoc erit, quid malorum scelerisve contractum?* Plura eius generis exempla videas in Reifferscheidii Indice III p. 325 et a Loefstedtio Patr. p. 12 enumerata.

Separatim verba quaedam adferam quae ablativum instrumenti adsciscere solent.

perfrui. I 59 (39 26) *e o.*

fungi. I 41 (27 16) *m o r t e;* IV 6 (146 15) *o f f i c i o*[1]*;* 35 (170 5) *c o n s u l a t i b u s.*

defungi. III 39 (137 23) *m o r t a l i t a t e.*

uti. I 26 (17 22) *q u a;* 29 (19 20) *o r a t i o n e;* (23) *c o n v i c i o;* 46 (30 22) *s o n i s e t e l o q u i o;* 59 (41 17) *h i s* cet.

abuti. I 30 (20 13) *f o n t i b u s, l i q u o r e;* IV 35 (169 25) *d i s v e s t r i s.*

Praeterea Arnobius locutioni *opus est* ablativum adiungit his locis: I 65 (46 18) *quid esset f a c t o opus?* VII 3 (239 13) *s u f f e c t i o n e;* 32 (266 3) *a q u i s atque f r i c t i o n e.*

Postremo ablativos gerundii instrumentali vi usurpatos ab Arnobio breviter enumerabo: II 7 (53 5) *quibus ex causis pili* · · · *paulatim a d i c i e n d o canescant;* V 25 (197 15) *quos Calliopae fi-*

[1] De ordine verborum huius loci maxime insolito optime agit Loefstedtius A. p. 77, qui recte codicis Parisini scripturam defendit; cfr. p. 10 sq.

lius · · · *cantando per saecula iuri publicavit humano;* IV 16 (155 8) *ne aut uni dando* · · · *inimicas ecficiat ceteras;* II 44 (83 22) *cum non prohibendo* · · · *cessatione crimen fecerit proprium;* VI 8 (220 14) *an ridendo res ipsas* · · · *puerili alucinatione ludatis.*

His omnibus locis modalis significatio ablativi nescio an potius statuenda sit. Nam gerundii ablativum idem fere valere quod participium praesens verbi apud recentiores praecipue scriptores notum est[1].

§ 29. Ablativus copiae.

Ablativo latino rem qua abundat aliquid vel plenum est interdum significari constat. Qui ablativus et verbis et adiectivis copiae adscribitur, quorum pauca ex Arnobii libris adnotavi.

animare. I 33 (22 4) *sensu vitali;* VII * 24 (258 9) *prunis*[2]. Cum ablativo praepositio *ex* coniungitur II 52 (89 12) *ex ignibus animatos eius <solis> vitali agitatione motari.*

participare. V 17 (189 16) *infamia.*

scatere. II 55 (91 1) *his;* V 7 (179 13) *ira.*

gravis. VII 22 (255 24) *fetas iugulare Telluri, quod sit fetibus gravior*[3].

plenus. I 62 (42 25) *Sibylla* · · · *vi ut dicitis Apollinis plena;* II 78 (111 12) *Urgent tempora periculis plena;* III 9 (117 13) *ut debeant plena esse diis omnia;* IV* 11 (150 2) *quod superstitionibus plenissima res tota est*[4]; V 19 (190 19); VI 24 (235 18); 25 (236 11); 26 (237 2); VII 26 (260 16). De genetivo huic adiectivo coniuncto postea dicam.

potens. III 21 (126 3) *flammis potens Vulcanus.* Praepositio *in* additur ablativo IV 7 (147 9) *Mellonia dea est pollens potensque in apibus.*

[1] De his rebus luculenter agunt Schmalzius Synt. p. 447 sq. et speciatim Loefstedtius Per. p. 159 sq.

[2] *prunis* Reifferscheidius perperam scripsit, *prius* codex servat.

[3] *gravida* interrogandi signo Reifferscheidius addito proposuit sine causa pro codicis scriptura *gravior*, quae rhythmo optime respondet (cl. I a). De comparativo pro gradu positivo et superlativo totiens usurpato videas quae docet Loefstedtius A. p. 53 sqq.

[4] ita ex Gelenii coniectura, *suspicionibus* in codice est.

praepotens. III 31 (132 17) *Aristoteles ··· vir ingenio praepotens atque in doctrina praecipuus.* *In* praepositio exstat III 21 (125 24) *ut venationum praepotens habeatur in expeditionibus Diana.*

§ 30. Ablativus mensurae.

Ablativus mensurae non solum cum comparativis adiectivorum et adverbiorum coniungitur, sed etiam verbis et adverbiis differentiam quandam exprimentibus adscribitur. Praeterea et positivis et superlativis adiectivorum et adverbiorum nonnumquam subiungitur ex analogia. Ablativi substantivorum ab Arnobio paucis locis ponuntur, saepius adiectivorum et pronominum. Ex Arnobii libris hos excerpsi ablativos substantivorum:

VII 47 (281 28) *cur totiens Romana civitas ··· innumeris stragibus civium minor facta est millibus?* II 72 (106 22) *At religiones vestrae multis annis praecedunt nostram ···. Et quid eas prodest annis quam plurimis anteire?* IV 8 (147 17) *quin innumeris dicatis deos aetatibus, saeculis cuncta ··· anteire;* VII 36 (270 15) *qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis transierint summitate.* His proximis locis ablativus haud dissimilis est ablativo instrumenti. Conferri potest IV 37 (171 19) *Verum ita se res habet, ut ··· anteire vos etiam veritatis scientia iudicetis.*

Multis apud Arnobium locis occurrunt ablativi adiectivorum pronominum pronominaliumque velut II 7 (53 11) *miserabilis hoc magis.* — VI 19 (231 8) *hoc amplius.* — I 40 (26 28) *eo minor;* II 72 (106 23) *eo sunt veriores.* — III 16 (123 14) *quanto rectius.* — I 57 (39 7) *proclivius multo* cet. Uno loco cum gradu superlativo coniungitur ablativus mensurae *multo:* II 11 (56 4) *quod levissimum multo est*, ubi Loefstedtius A. p. 56 pro comparativo superlativum esse positum recte contendit contra Hildebrandium, qui *multo levissimum* propria sua vi de rebus dictum esse putat quae omnium sunt facillimae, quamquam non negat superlativum saepius pro comparativo legi. Soli exstant ablativi II 77 (111 7) *quanto instatis et pergitis ··· saevire, tanto artis et gravibus relevatis nos vinculis;* cfr VI 26 (237 5).

Adverbio appositus est ablativus: II 5 (50 26); 26 (69 17) cet. *paulo ante*.

§ 31. Ablativus pretii.

Ablativo latinae linguae cum verbis *emendi* et *vendendi* coniuncto pretii significationem exprimi, si certum et definitum pretium indicatur, omnibus notum est. Cuius generis nullum apud Arnobium adnotavi ablativum, quamvis genetivus pretii nonnullis locis positus sit.

§ 32. Ablativus relationis.

Ablativus latinus haud raro ita adhibetur, ut cuius rei ratione habita aliquid dicatur significet. Qui ablativus, quamvis saepissime ex instrumentali notione derivari possit, multis locis ablativo proprio separativo affinis esse videtur. Ablativus relationis et verbis et adiectivis ab Arnobio adscribitur, quorum haec inprimis excerpsi.

A. Verba:

capere. I 45 (30 3) *qui praecipiebat. · · · captos membris adsurgere;* II 49 (86 28) *si hominem dicas captum membris omnibus · · · esse sanum.*

differre. II 21 (65 16) *cibus · · · nihil materia differens;* III 39 (137 7) *qui opinionibus differunt.*

discrepare. II 15 (60 8) *non moribus, non opinionibus discrepamus.*

esse. I 6 (8 14) *qui homines se esse non specie corporum sed rationis intellegunt potestate;* II 49 (86 20) *quot sint aut fuerint numero.*

Praeterea occurrit locutio *re vera, revera* I 23 (15 20) cet. atque *re ipsa* VI 26 (237 10).

B. Adiectiva:

dignus[1]. I 44 (29 16) *deo vero;* II 2 (48 4); 5 (50 13); 34 (75 17); 51 (88 8); cet.

[1] Conferatur F. Skutsch Quisquilien (Glotta II) 7. *Dignus* p. 158 sq.

condignus. I 1 (3 14) *Neque enim negaverim · · · h o s t i l i b u s · condignos o d i i s nos esse;* 48 (32 21) *Quod esse · · nec admirationis alicuius s t u p o r e condignum promptum est;* V 45 (213 14); VI 23 (234 2). De dativo huic adiectivo addito iam egi p. 38. Praeterea duobus locis infinitivus subiungitur I 23 (15 18); II 18 (62 21).

indignus. II 52 (89 23) *d e o;* IV 32 (167 20) *m a i e s t a t i b u s.*

dissimilis. II 12 (56 29) *ea · · concurrere · · · fecit · · · m o r i b u s dissimillimas nationes.*

facilis. I 63 (44 7) *Ipse · · · non a c c e s s u facilis, non familiaris a d f a t u.*

inexsuperabilis. I 36 (23 25) *alter · · · c r u d o inexuperabilis c a e s t u.*

multiformis. II 30 (72 20) *poenae · suppliciorum g e n e r i b u s multiformes.*

proximus. II 15 (59 26) *animas · · · g r a d u proximas dignitatis.*

Praeterea ablativus relationis his apud Arnobium locis exstat cum adiectivis inprimis coniunctus.

II 36 (77 5) *n a t u r a;* 39 (80 5) *i n t e l l e c t u et s c i e n t i a;* 66 (101 29) *u s u et c o m m o d i t a t e;* III 3 (113 25) *n a t u r a v i n o m i n e;* IV 8 (147 15) *n a t u r a t e m p o r e v e t u s t a t e;* (147 20) *t e m p o r i b u s;* IV 22 (158 26) *o r e;* 24 (161 1) *a l t e r o p e d e;* V 7 (180 1) *n o m i n e;* VI 10 (221 15) *s e n e c t u t e;* 12 (223 23) *m a n u d e x t e r a;* VII 2 (239 1) *g e n e r e;* 9 (244 2) *f e r o c i t a t e;* 13 (248 3) *d i g n i t a t i b u s;* 24 (258 4) *g e n e r e et q u a l i t a t e;* 48 (282 20) *n a t u r i s v o l u n t a t i b u s m o r i b u s.*

Separatim examinabo supini ablativos, quos haud paucos apud Arnobium repperi[1]:

IV 35 (170 6) *quod nefarium esset a u d i t u.* — I 62 (42 22) *Incredibile d i c t u est;* V 2 (174 21) *nec facile d i c t u est;* VII* 4 (240 25) *quod est verius atque aptius d i c t u*[2]. — II 35 (76 6) *si quod inpossibile nobis est f a c t u.* — V 41 (210 5) *Antea mos fuerat · · · foeda p r o l a t u · convestirier;* praetera conferas s. v. *facilis.*

[1] De huius ablativi significatu agit Schmalzius Synt. p. 466 sq. (§ 197).

[2] *aptius* Reifferscheidius scripsit, *apertius* codex Parisinus fortasse recte servat (*apertius dictu* cl. I).

De more Arnobii proprio praepositiones abundanter ponendi *in* praepositio haud paucis locis ablativo adiungitur velut I 36 (23 13) *Bona dea quae dicitur sed in vini melior et laudabilior potu;* II 35 (76 16) *nonne omnes omnino · · · dii angeli daemones · · · sunt · · in ambiguae sortis condicione nutabiles?* 59 (95 18) *quid herbarum aut fruticum aut adolentia naribus aut tristia in odoribus semina?* De hoc loco ab editoribus totiens vexato scripsit Hildebrandius: »Qui *in* praepositio quid sibi velit non intellexerunt Interpretes diverso modo locum corrupere. At vero saepe Arnobius *in* praepositione usus est ut instrumentum exprimat quo quid efficitur sed ita ut causam indicet in qua illud tamquam inesse et coniunctum cum ea videatur». Praeterea videas quae iam dixi ad hunc locum p. 29 sq. III 35 (134 18) *In philosophiae memorabiles studio · · · definiunt;* VII 41 (274 5) *quos dissimiles ipse corporum esse in mobilitate voluisset.*

§ 33. Ablativus causae.

Ablativus inde ab initiis litterarum latinarum ad causam exprimendam ab scriptoribus satis usurpatur frequens. Quorum ablativorum duo a grammaticis genera discernuntur: ablativus causae interioris et ablativus causae exterioris, quorum fines non satis distingui possunt[1].

Quibus ex generibus ablativus causae interioris qui vulgo nominatur ita ponitur, ut causam in ipsa persona vel re positam indicet, ablativus vero causae exterioris causam extra personam vel rem positam significet. Qui ablativi causae et interioris et exterioris e more poetarum et scriptorum recentiorum frequentissimi ab Arnobio usurpantur. Quam ob rem ex immensa ablativorum copia apud Arnobium occurrentium primum proferam in primo libro exstantes, deinde eos locos examinabo qui mentione digni mihi videntur.

I 4 (7 11) *calumniarum* *l i b i d i n e* *non videtis;* I 8 (9 5) *Quid si siderum motus* *c e r t i s* *s i g n i s* *p a r t i b u s* *t e m p o r i b u s* *l i n e i s* *pariunt haec mala?* I 9 (9 23) *frumentorum* *i n o p i a* *nescio*

[1] Praeter ceteros conferatur Schmalzius Synt. p. 379 (§ 95).

qua laboramus; I 24 (16 12) *homines* · · · *caecitate ingenita nequeuntes videre;* I 25 (16 14) *ne quis nos tamen diffidentia responsionis tranquillitatis existimet deos donare muneribus;* I 28 (19 8) *cuius voluntate et arbitrio et interire et solvi nec solvi possunt nec interire;* I 40 (27 1) *Pythagoras Samius suspicione dominationis iniusta vivus concrematus in fano est;* (27 14) *qui non suo merito poenas graves sed cruciatoris perpetitur saevitate*[1]*;* I 41 (28 2) *quibus istud causis rationibusque faciamus;* 42 (28 6) *Cum vero qeus sit re certa;* 43 (29 5) *quae necessario velint nolint suis ordinationibus veniunt;* 45 (29 30) videas p. 9 sq.; 49 (33 8) *Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse morborum?* cfr II 49 (86 28) *si hominem dicas* · · · *heiulantem ex cruciatibus asperis idcirco esse sanum*[2]*;* (33 25) *ut* · · · *ille* · · *non meriti causa sed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuisse divina;* 59 (40 19) *nullus sermo natura est integer.*

Quibus ablativis enumeratis verba affectuum similiaque quae ablativum causae adsciscunt recensebo.

aestuare. V 20 (191 21) *libidinibus atque cupiditatibus.*

ardere. I 20 (14 18) *ira.*

ardescere. II 40 (80 27) *inexaturabili adpetitu;* cet.

fervere. II 16 (60 12) *quibus* ⟨*causis*⟩*;* IV 11 (149 22) *cotidianis accessionibus.*

fervescere. VII 17 (251 19) *vermibus.*

effervere. VI 2 (215 2) *ira.*

effervescere. I* 18 (13 25) *ira et huiusmodi motu*[3]*;* II 1 (47 9) *ardoribus.*

flagrare. II 1 (47 13) *ardoribus;* cet.

gaudere. III 25 (129 9) *malis;* 26 (129 25) *dissensionibus civilibus.* Praepositio additur hoc loco VII 34 (268 16) *et quia gaudere laeta re maestosque se fieri tristioribus conspiciunt causis,*

---

[1] ita ex coniectura Ursinus proposuit, *saevitatem* codex Parisinus praebet.

[2] De hoc loco iam disputavi R. I. p. 14.

[3] *ecfervescere* vir quidam doctus proposuit, *et fervescere* codex praebet, *effervescere* Elmenhorstius impressit.

arbitrantur et numina ex rebus hilarioribus gaudere et ex minus laetis animorum contractione conduci[1]. Praeterea videas VII 4 (240 19).

gestire. VII 15 (249 16) *corporea voluptate;* 32 (266 5) *inedia.*

incalescere. III 11 (119 5) *indignationibus;* 36 (135 24) *flammis;* cet.

insolescere. IV 11 (149 22) videas s. v. *fervere*.

languescere. III* 10 (118 9) *enervatione*[2].

stupere. IV 33 (168 15) *viribus.*

torpescere. I 29 (20 5) *stupore.*

Nonnullis locis ablativus ipsius vocis *causa* exstat velut genetivo nominis adiecto I 13 (11 13) *Christianorum, inquiunt causa, mala omnia di ingerunt* atque pronomine addito II 54 (90 10) *qua causa;* III 8 (116 20) *ea causa.*

Nonnullis adiectivis ablativus ab Arnobio solet abscribi ad causam indicandam. Qui ablativus ad similitudinem ablativi relationis interdum proxime accedit. Ex Arnobii libris ablativos cum adiectivis coniunctos excerpsi his locis.

I 28 (19 19) *cum sint ... labiles solubilesque natura;* conferas II 59 (94 22); VII 23 (256 13) *quicquid enim mite est placidumque natura.* VII 39 (272 15) *rusticulo cuidam sorte humilitatis obscuro.* I *6 (8 16) *fastu et supercilio tumidi*[3]; II 1 (47 17) *adrogantiae supercilio tumidus;* I 38 (26 1) *Qui ... elatas supercilio cervices modum fecit suae infirmitatis agnoscere.* VII 3 (239 28) *si deus .. nullius est corporis omnique est incontiguus tactu;* quo loco dativus fortasse rectius statuendus est.

Ex solito more ablativus verbis *aestimandi metiendi* similibusque interdum ab Arnobio adiungitur. Quem ablativum causae non mensurae esse ea quoque ex re apparet, quod *ex* praepositio huiusmodi cum ablativis saepe coniungi solet[4]. Apud Arnobium hos locos adnotavi.

---

[1] *laeta re* Meursius coniecit, *laetari* recte sine dubio codice servatur.

[2] ita Sabaeus pro codicis scriptura *enervationi anguescere.*

[3] *tumidi* Gelenius coniecit, *luminis* in codice est (*s* eraso).

[4] Draeger I p. 564 (§ 245 δ) hos ablativos ablativo mensurae sive differentiae subiungit.

aestimare. II 29 (71 24) *desinite res parvas atque exigui mominis immanibus pretiis aestimare;* VII 15 (249 20) *ut neque illos credas · · · sed sua se vi nosse nec se alienis adulationibus aestimare;* (249 28) *quod si ea · · · propria vi pendere, non ante sumptis placet opinionibus aestimari.*

censere. II 16 (60 21) *Vultis quaerere · · · censeamini quo patre;* 29 (71 26) *capite cum censeatur;* I 3 (6 10) *Nonne ipsa nomina, quibus censentur haec mala, testificantur?* V 44 (213 4) *qui censentur his nominibus;* (213 10) *cum suis censeri appellationibus res possint;* his tribus locis ablativus ad instrumentalem significationem potius accedit.

coniectare conferas s. v. *pendere.*

metiri. II 61 (97 8) *orbe sit sol amplior an pedis unius latitudine metiatur;* VI 3 (215 29) *plena dementia est, necessitatibŭs tuis potentiora metiri;* priore saltem loco instrumentalis notio potius statuenda est.

pendere. I 2 (3 21) *hoc · · · momentorum parium examinatione pendamus;* 9 (10 6) *Eventa haec omnia · · · commodulis non sunt nostris sed ipsius pendenda sunt rationibus ordinibusque naturae;* II 11 (56 16) *Personarum contentio non est eloquentiae viribus sed gestorum operum virtute pendenda;* II 57 (93 23) *Non enim divina divinis sed rationibus pendimus et coniectamus humanis;* VII 15 (249 28) videas s. v. *aestimare.*

statuere. I 8 (9 15) *Quid si · · omnia · quae* fiunt nostris commoditatibus statuentes · · · criminamur?*

§ 34. Ablativus separativus.

Ablativum linguae latinae quam plurimis verbis et adiectivis adscribi notum est ad personam vel rem exprimendam, unde aliquid separari vel proficisci perhibetur. Cui ablativo praepositiones sine ullo omnino discrimine ab scriptoribus latinis apponi a compluribus grammaticis inprimis a Draegero demonstratum est. Neque mirum est Arnobium, ut est sermonis variandi et orationis numerosae componendae studiosissimus, ablativum et nude positum et

e praepositione pendentem mixtim in libris suis usurpavisse. Apud Arnobium ablativos separativos his locis occurrentes repperi.

A. Verba:

aberrare (intr.). VII 48 (283 1) *veris praesagiis.*

abrogare (tr.). II 3 (49 18) *his;* III 26 (129 24) *ingenuis.*

abstinere (intr., tr.). I 48 (32 19) *re aliqua;* II 13 (58 19) *vitiis et cupiditatibus;* 67 (103 2) *potionibus;* III 5 (115 12); 14 (121 7); IV 28 (164 25) *eum iure;* VI 18 (230 14); VII 8 (243 1); 18 (252 17) *se carne.* Accedit *a* praepositio his locis: II 17 (61 27) *si · · · cuncti homines · · · abstinerent ab inlicitis sese* (cl. III a)[1]; 54 (90 23) *cur · · · ab operibus vos certis et facinoribus abstinetis;* IV 16 (155 7) *Nonne · · seseque abstinens ab negotiis* (cl. III) *talibus tutius esse arbitrabitur?* His ex locis apparet praepositionem praecipue additam esse, ubi verbum exstat reflexivum.

alienare (tr.). V 7 (179 6) *infami coniunctione.*

cedere (intr.). I 45 (29 24) *possessione.*

decedere (intr.). VII 13 (248 10) *via.*

desilire (intr.) VII 13 (248 10) *vehiculo.*

digredi (intr.). I 40 (26 29) *vinculis.*

eximere (tr.). II 25 (69 1) *quamvis · · · numquam nodis corporeis eximatur.*

expedire (tr.). I 46 (30 18) *qui · · · praecipiebat · · · conditos · · · pollinctorum voluminibus expediri.*

expellere (tr.). IV 24 (160 21) *regno;* VII 44 (278 24) *vita et lumine.* Praepositio addita est e. gr. I 40 (27 7) *quia iniuria expulsus e vita est* (cl. I).

exterminare (tr.). I 26 (17 6) *propter quod vos ipsi · · · exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus.*

fundere (tr.). I 36 (23 16) *utero;* III 18 (124 15) *ore.* Aliter dicitur II 16 (61 7) *et nos · · · ex alvis fundimur atque emittimur matrum*[2]; cfr IV 21 (158 4) *ex feminae effusum · · · alvo;* V 21

[1] Conferatur Lorenzius p. 5.

[2] Recte Loefstedtius A. p. 66 cum codice *alveis.*

(192 28) *ex partu virginis tauri specie fusa Iovialis monumenta pellaciae.*

labi (intr.). I 57 (38 19); VII 21 (254 23) *caelo.*

levare (tr.). IV 24 (160 19) *ponderibus.*

relevare (tr.). II *77 (111 6) *sed pelliculis relevatis et cutibus nos nescii;* *(111 8) *tanto artis et gravibus relevatis nos vinculis*[1].

manumittere (tr.). II 25 (69 7).

solvere (tr.). II 5 (50 28) *quod · · · se · · · malunt solvi coniuges matrimoniis*[2] (cl. III). *A* praepositionem recepit V 7 (179 10) *quamdiu esset solutus a matrimonii*[3] (cl. III) *foedere.*

exsolvere (tr.). II 30 (73 26) *cum · · · corporalibus fueris vinculis exsolutus* (cl. III). Praepositionem adsciscit II 61 (97 17) *a corporalîbus vinculis exsolutos* (cl. III) *expectat mors saeva.*

resolvere (tr.). IV 36 (171 14) *in quibus · · · pax · et venia postulatur · · · resolutis corporum vinctione* (cl. III).

sumere (tr.). VII 50 (283 30) *quis hominum credet terra sumptum lapidem · · · deum fuisse matrem?* Praepositio *ex* exstat saepe velut V 5 (177 14) *Ex ea* ⟨*petra*⟩ *lapides sumptos · · · Deucalion iactavit et Pyrra.*

B. Adiectiva:

immunis. II 76 (110 5) *cur non immunes agitis tot discriminibus et procellis?* Saepius praepositionem adsumit: I 3 (6 11) *Nonne ipsa nomina · · · clamant nullum ab his umquam immunem abisse mortalium?* IV 32 (167 15) *immunes tamen ab deorum maletractatione nec sic estis;* 37 (172 9) *Sin autem ab huiusmodi furiis deorum est genus immune;* VII 4 (240 12); 11 (245 24); 41 (274 19); 47 (282 2).

liber. VII 4 (240 13) *Utroque autem affectu debent esse dii liberi.* Praepositio additur uno loco VII 34 (268 3) *an ab huiusmodi motibus et cessatione sit liber.*

---

[1] *relevatis* utroque loco Ursinus reposuit, *revelatis* codex servat, *nos* e Sabaei coniectura omnes habent, *vos* codicis est scriptura priore loco.

[2] Legendum *matrimonis (matrimonîs)*, qua de re agit Loefstedtius A. p. 39.

[3] i. e. *matrimoni (-nî).*

Praeterea memorandae sunt, ut scripsit Scharnaglius II p. 7, dictiones, in quibus praepositione adhibita ratio duarum notionum inter se cohaerentium manifestior fit velut II 14 (59 18) *nam illa · · · animarum est a corporibus diiugatio;* IV 36 (170 27) *ab officiis otium publicis, immunitas et vacatio cum coronis;* V 9 (181 26) *cum ab Iovis ipsius maledictis nullam pausam facere · · · quiveritis;* 16 (188 27) *quid temparatus ab alimonio panis?*

§ 35. Ablativus inopiae.

Ablativo et verbis et adiectivis apposito scriptores latini qua re aliquis egeat vel privatus sit indicare solent. Cuius usus exempla in Arnobii libris inveni his locis usurpata.

A. Verba:

carere (intr.). III 12 (120 8) *liniamentis corporeis;* 14 (121 6) *foeditatibus his;* 19 (124 28) *foeditate;* cet.[1].

deonerare (tr.). VII 45 (279 12) *per quos inmunda faex eat aversabili corpora foeditate deonerans* (cl. I a); ad verbum conferas VI 16 (229 7).

exuere (tr.). I 26 (17 6) *propter quod vos ipsi · · · exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus;* * 53 (36 21) *Exutus at corpore · · · postquam · · · passus est*[2]; II *16 (61 21) · · · *animas improborum, postquam sunt humanis corporibus exutae*[3]. Quo loco quamvis multae ab interpretibus prolatae sint coniecturae, nihilo minus codicis scripturam *sumptae* probari posse censeo, cum participium a sententia enuntiati non sit alienum et rhythmo quoque commendetur (cl. I a). In eundem fere modum Arnobius huic verbo *sumere* ablativum separativum adiunxit VII 50 (283 30) *terra sumptum lapidem* (cfr p. 61). Paulo ante e contrario dixit scriptor II 13 (58 17) *quid enim sumus homines nisi animae corporibus clausae?* (cl. I a). II 76 (110 19) *quo facilius exui corporalibus possimus et*

[1] De verbo quod est *decurtare* V 11 (184 8) iam disputavi R. I. p. 22.

[2] ita Salmasius scripsit, *a* in codice exstat.

[3] *exutae* scripsit Gelenius, *sumptae* codicis est scriptura, quam receperunt Canterus et Stewechius, *exutae* vel *submotae* vel *exemptae* proposuit Ursinus, *functae* Iessenus coniecit, *seiunctae* Klussmannus.

vinculis et tenebrosam evadere caecitatem[1]. Uno loco praepositionem adsciscit V 21 (192 12) *exsecat hos ⟨testiculos⟩ ipse et lanato exuit ex folliculi tegmine*, ubi verbum antecedens ad structuram valuisse liquet.

indigere (intr.). III 21 (126 5) *Vestis indigent tegmine* (cl. II). Uno item loco cum genetivo ponitur *indigens* participium, de quo videas postea p. 72.

imminuere (tr.). IV *16 (153 17) *quae · · · totiens castitatis purae imminuta es sanctitate*[2]; V 20 (191 26) *quibus castitate imminueret genetricem*. Ad hos locos adnotavit Hildebrandius: »*Imminuere* est virginitate privare«. Aliter dicitur VII 33 (267 4) *Itane istud non est deorum imminuere dignitatem?* Conferas quoque V 9 (182 2) *post innumeras virgines et spoliatas castitate matronas*.

nudare (tr.). I 64 (44 15) *qui · · · nudant nobilitatibus civitates*, de quo loco iam Hildebrandius dixit in commentariis: »*Nudare* h. l. pro *privare* et *spoliare* dictum est eandemque habet constructionem«.

orbare (tr.). IV 7 (147 6) *in tutela sunt Orbonae orbati liberis parentes*.

perexsiccare (tr.). VII 24 (257 19) *per quam proluvies editur sucis perexsiccata vitalibus*. Ad similitudinem ablativi inopiae ablativum *sucis vitalibus* accedere puto; ceterum de hoc loco disserit Loefstedtius A. p. 95, ubi verbum rarissimum *perexsiccare* recte defendit.

privare (tr.). I 62 (43 3) *vita et luce*; cet.[3].

spoliare (tr.). I 41 (27 24) *Nonne illum Attim Phrygem abscisum et spoliatum viro · · · deum propitium · · · testamini?* III 1 (112 12) *nec spoliatur vi sua*; V 7 (180 6); 9 (182 3); 11 (183 28); 22 (193 24); VI 7 (219 22); 12 (224 10); 21 (232 20).

---

[1] *e vinculis* Gelenius proposuit, *ex vinculis* Ursinus.

[2] ita Sabaeus, *immuta est* codex Parisinus.

[3] II *14 (59 2) *cum animas dicat immortales, perpetuas et corporali soliditate privatas*, ubi Reifferscheidius Gelenium secutus est, Krollius A. p. 109 n. 1 cum Hildebrandio Oehlero aliisque codicum scripturam *et ex corporali soliditate* recte fortasse defendit.

exspoliare (tr.). III 34 (134 15) *ut · · · expolietur Apollo germana.*

viduare (tr.). I 3 (6 23) *universas discetis gentes saepenumero desolatas et viduatas suis esse cultoribus;* 45 (30 5) *viduatos videre luminibus;* II 3 (49 19) *ut merito feratis · · honoris impertione viduatos;* 12 (57 22) *per quam · · · possetis · viduari benignitate divina;* III 14 (121 8).

B. Adiectiva:

vacuus. V 5 (177 15) *in orbem mortalibus vacuum;* VI 26 (236 25) *Usque adeone mortales · · · corde fuerant vacui.*

viduus. II 39 (80 10) *animae · · · velut oculorum luminibus viduae.*

§ 36. Ablativus originis.

Ablativus haud paucis verbis ab Arnobio apponitur ad originem exprimendam. Eiusmodi ablativis non solum ubi remotior origo significatur, sed etiam alias multis locis praepositiones solent praeponi ab Arnobio. Huius usus exempla in Arnobii libris occurrentia adnotavi his locis.

Separatim unum adfero locum ubi ablativus de more solito ad nomen proprium relatus est: VII 44 (278 18) *Aesculapius, inquitis, Epidauro, bonis deus valetudinibus praesidens.*

A. Verba:

edere (tr.). II 48 (85 25) *quonam parente sint editae et causis cuiusmodi procreatae;* III 29 (131 26) *Caelo patre;* 30 (132 7) *patre Saturno atque Ope matre.* Uno loco praepositio adiungitur II 53 (89 26) *credimus, mediae qualitatis csse animas hominum utpote ab rebus non principalibus editas.*

fieri (intr.). II 56 (92 3) videas s. v. *oriri.*

gignere (tr.). VII 9 (244 2) *Nonne primordiis isdem eadem et me genuit informavitque natura?* Propter verbum sequens ablativus ad sensum instrumentalem prope accedit. Praepositio *ab* usurpata est velut II 35 (76 21) *sequitur ut hi omnes · · · aut ab eo sint geniti aut eo iubente prolati.*

nasci (intr.), **(g)natus.** I 36 (23 15) *Coronide ille natus;* II 49 (87 3) *quibus nascitur colliquefactis aurum;* 59 (96 5) *quibus aut suavitas nascitur;* 62 (97 22) *quod · · · dicitur, deo esse se gnatos;* VII 44 (278 22) *muliebri alvo.* Nonnullis locis praepositio posita est *de:* IV 26 (163 13) *at Hercules sanctus deus natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit; ex:* IV 20 (157 13) *Ex Ope, inquitis, matre et ex genitore Saturno cum suis est natus Diespiter fratribus;* 22 (158 19); cet.; *in:* III 15 (122 1) *qui pilos et lanugines credat in deorum corporibus nasci.*

enasci (intr.). II 54 (90 13) *Quoniam si cuncta eius voluntate conficiuntur · · ·, necessario sequitur, ut mala etiam cuncta voluntate eius intellegantur enasci;* hoc loco ablativus causae potius statuendus est. *70 (105 6) *sed ex quo capite Iovis enata est, et esse res coepit.* De hoc loco Schmalzius (Satzbau und Negationen bei Arnobius, Glotta V, p. 202 sq.) fuse disserit, quem codicis scripturam sine *quo* pronomine ab Salmasio addito *sed ex capite Iovis enata est* cet. recte defendere equidem mihi persuasum habeo. Addita enim est praepositio verbo V 12 (184 24) *lentene fluore de sanguinis et ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici*[1]*;* VII 34 (267 25) *ex quibus enata est causis opinionum haec pravitas?*

oriri (intr.). II 56 (92 3) *quibus genitoribus orta sint vel quibus auctoribus fiant;* VII 28 (262 7) *inter animantia terris orta.*

parere (tr.). VII 44 (277 6) *fastidium ne inmoderatione pariatur.*

procreare (tr.), **procreatus.** I 37 (24 21) *quibus singuli patribus, quibus matribus fuerint procreati;* II 37 (77 23); 48 (85 25) vide s. v. *edere;* 70 (104 20) cfr s. v. *prodere;* 71 (105 29); cet. Saepe ablativo praepositio addita est *ex:* II 48 (86 6) *conspicimus homines · · · ipsos se indicare non esse patricii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos;* 51 (88 5) *ex quibus causis atque originibus;* 70 (104 10) *ex Saturno atque eius uxore;* 71 (106 4) *uno ex sanguine unoque ex semine;* cet. Aliter dicitur IV 25 (161 14) *quis in Thraciae finibus procreatum* ⟨*prodidit Martem*⟩*?*

[1] *mali enata* Sabaeus, *alienata* codex.

prodere (tr.), **proditus.** II 70 (104 19) *Tyndaridae Castores ignipotensque Vulcanus Iove patre sunt proditi et genitore Saturnio procreati;* IV 14 (151 25) *secundus · · · Hyperiona proditus genetrice, tertius Volcano, non Lemnio.* Praepositiones ablativo appositae reperiuntur: *a:* II 74 (108 21) *cur · · · tam sero a Iove sint proditi; ex:* IV 19 (156 26) *'ex illo patre atque ex illa matre deus ille est proditus'*[1]; 28 (164 23) *qui credat · · · aut ex se proditas aliquando intercepisse proles.*

proferre (tr.), **prolatus.** II 15 (59 26) *id quod · · · dicitur · · · animas immortales esse · · · genitore illo ac patre prolatas.* Paulo post dicitur praepositione addita (60 2) *a perfecto sumus inemendabili perfectione prolati;* II 35 (76 21) vide s. v. *gignere.*

progignere (tr.). II 47 (85 8) *quo auctore progenitae et qua sunt ratione prolatae?* IV 14 (151 20) *ex quibus unus Aethere sit patre progenitus.* Ablativus ex *e* praepositione pendet IV 24 (160 15) *numquid a nobis dicitur · · · ex ovis esse progenitos quosdam deos?* VII 35 (269 4) *vos deos · · · profitemini esse natos et ex masculorum feminarumque seminibus conventionum progenitos lege.*

§ 37. Ablativus materiae.

Ablativo latino materiam ex qua aliquid constare vel factum esse dicitur nonnumquam significari videmus. Qui ablativus saepissime cum praepositionibus ab scriptoribus prosae orationis coniungitur. Quare ablativum materiae in Arnobii libris nudum nisi paucis locis non deprehendi, quos infra examinabo.

confieri (intr.). VI 17 (229 13, 230 3) *quibus signa confiunt*[2].

---

[1] *patre* addidit Reifferscheidius, ut mihi videtur, sine causa.

[2] II *54 (90 11) *si cuncta eius voluntate conficiuntur* Reifferscheidius Sabaeo adstipulatus edidit, ubi codex *conficiunt* exhibet Sed rectius cum Hildebrandio ad V 39 (209 9), quem secuti sunt Lorenzius p. 38 et Krollius (Die Zeit des Cornelius Labeo, Rh. Museum LXXI, p. 344 n. 1) *confiunt* reponendum est propter loci rhythmum (*volun/tate confiunt* cl. 1). Qui ablativus pro causali habendus est nec non VII 11 (246 6) *sed ineluctabili necessitate confiunt.*

fabricari (tr.). II 9 (54 14) *qui* *individuis corporibus mundos semper fabricatur;* IV 6 (146 5) *Si testa aut materia fuerint quacumque alia fabricata foci.* Uno loco praepositio usurpatur III 17 (123 26) *si · · · dicatur mundus · · · ex fragili conglobatus et fabricatus testa.*

constare (intr.). I 28 (18 20) *cuius nutu et arbitrio omne quod est constat;* ablativus potius causae statuendus est. VI 15 (226 26) *quibus signa consueta sunt et numinum simulacra constare;* VII 13 (248 7) *Etenim honos omnis · · · est · · · constans partibus duabus.* Uno loco IV 9 (148 8) *cum aliorum semper ex dispendiis constent* verbum praepositionem adsumit. Ablativum e praepositione pendentem verbum simplex *stare* adsciscit e. gr. II 56 (92 22) *Eundem hunc alii elementis ex quatuor tradunt et pronuntiant stare, ex geminis alii, ex singulis tertii, sunt qui ex his nullo · · · esse · · · dicant.*

construere (tr.). IV 6 (146 7) *quod regni sui possessio non luteis constructa est formis* [1].

Nonnullis locis ablativus e praepositione dependens ab Arnobio substantivo apponitur velut II 21 (65 17) *cibus sit unus atque idem semper · · ·, sed aut fitilla de milio aut sit panis ex farre aut · · · ex cinere caldo glandes aut ex ramis agrestibus baculae;* III 21 (126 7) *ut virgo Tritonia · · · aut trilices tunicas aut de serico componat* [2]; V 29 (201 6) *ex isdem seminibus fratres.*

§ 38. Ablativus comparationis.

Cum adiectivorum et adverbiorum comparativis ablativum et in prisca latinitate et a poetis recentioribusque scriptoribus inprimis coniungi demonstratum est ad personam vel rem indicandam, unde profecta est comparatio [3]. Cuius usus haud pauca apud Arnobium repperi exempla, quae infra breviter examinabo.

---

[1] *fornis* Krollius A. p. 71 n. 1 dubitanter proposuit.

[2] Optime Loefstedtius A. p. 18 sq. *det imponere* pro codicis scriptura *et imponere.*

[3] Conferatur inprimis Schmalzius Synt. p. 384 sqq. (§ 103).

I 46 (30 7) *centum aut hoc amplius;* II 28 (71 1) *vel octoginta vel hoc amplius* (cl. II); I 53 (36 11) *nec ipso se homini quicquam potest carius inveniri;* I 47 (31 24) *sole ipso est clarius;* 54 (37 3) *nisi · res esset · luce ipsa quemadmodum dicitur clarior;* II 46 (84 25) *Minora haec illo sunt;* II 17 (62 1) *generibus cunctis* (cl. I a); 19 (63 12) *et sole et sideribus cunctis* (cl. I a); 22 (66 11) *omni pecore ligno saxo* (cl. III a); conferas 25 (68 20) (cl. III); 61 (97 7) *orbe;* 72 (107 5) *illo;* V 1 (174 5) *plus nimio;* 4 (176 16) *ipso · Iove;* 5 (177 22) *prius mense decimo;* 23 (195 1) *hoc;* VI 18 (230 7) *his;* 25 (236 14) *genitalibus propriis;* VII 16 (250 7) *his.*

Ex locis supra allatis Arnobium videmus ablativo comparationis multis locis usum esse ad clausulas in finibus et commatum et sententiarum et periodorum formandas.

Uno demum loco ablativus comparationis cum nominis adiectivi gradu superlativo coniungitur: II 48 (85 28) *Quia omni vero verissimum est*[1] *certoque certissimum*[2], de quo loco Loefstedtius A. p. 56 adnotat superlativum gradum pro comparativo rhythmi gratia esse usurpatum[3].

Ex usu scriptorum recentioris latinitatis *ab* praepositio addita est hoc loco II 71 (106 15) *Annos ducit ⟨urbs Roma⟩ quinquaginta et mille aut non multum ab his minus*, quo loco praepositionem ablativo rhythmi gratia appositam esse verisimile est: *multum ab his minus* (cl. II). Altero loco II 46 (84 22) *Sed procul haec abeat · · · tam immanis et scelerata persuasio, ut ille salus rerum deus · · · aut aliquid fecerit claudum et quod minus esset a recto*[4] *minus esse* idem valere videtur quod *procul esse, abesse*[5]. Loefstedtius St. p.

[1] Cl. II.

[2] Cl. II.

[3] Conferatur quoque Schmalzius Synt. p. 386 (§ 103 n. 6) de superlativi cum ablativo comparationis coniuncti usu.

[4] *eminus* Sabaeus pro codicis scriptura *minus* proposuit, *nimis* Hildebrandius, *abesset* vel *esset summotum* Klussmannus coniecit.

[5] Scharnaglius II p. 9 animadvertit: »ita cum praepositione *a* comparativum coniungit, ut unde exeat comparatio significet: *minus esse a recto = minus rectum esse*».

68 sq. *minus facere* idem ferme esse quod *imminuere*, *eripere* ('wegnehmen', 'berauben') et e contrario *minus esse* idem quod *abesse*, *deesse* nos docet. Scripturam codicis rectam esse rhythmus quoque documento est: *quod minus esset a recto* (dactylus pro cretico et cl. I)[1].

§ 39. Ablativus absolutus.

Post ablativi genera supra examinata is qui vulgo absolutus vocatur adhuc restat. Cuius ablativi usum viri doctissimi demonstrarunt ex instrumentali maxime derivandum esse, sed alia quoque ablativi genera statui posse[2]. Quem ablativum accuratius tractare iam omitto, quandoquidem ubi de participiis agitur apud Arnobium exstantibus aptius recensendum esse existimo. Quapropter ablativi absoluti exempla in libris Arnobii occurrentia brevissime singulis generibus distinctis in medium proferam.

Ablativus loci.

Ablativus loci mihi statui posse videtur his locis: II 1 (47 4) *deverticulo paulisper facto;* I 29 (19 20) *in unius speciem contionis toto orbe contracto.*

Ablativus temporis.

Ad similitudinem ablativi temporis his locis accedit ablativus: II 68 (103 7) *Romulo Pompilioque regnantibus;* III 10 (118 11) *circumactis mensibus;* V 10 (183 11) *completis temporibus;* 12 (185 3) *maturitate completa;* VII 17 (251 16): 39 (272 11).

Ablativus sociativus.

Sociativa significatione ablativus poni videtur multis locis velut: I 5 (7 16) *Nino quondam Zoroastroque ductoribus;* I 5 (7 19) *diis ducibus atque inpulsoribus;* 33 (22 5) *non duce natura et magistra, non incorruptae simplicitatis fide;*

[1] Clausula quarta, Lorenzius p. 5.

[2] Conferatur Schmalzius Synt. p. 388 sqq. (§ 107, 108, 109).

II 10 (55 1); VI 10 (221 25); I 27 (17 28) *magistro Christo;* I 20 (14 26) *invitissimis eis;* II 54 (90 16) *eo invito;* 60 (96 14) *nobis invitis;* IV 27 (164 13); V 2 (175 10); I 42 (28 17) *nullo dissentiente;* I 46 (30 11) *undis ipsis stupentibus in famulatum subeunte natura;* 50 (34 26) *stupentibus cunctis.*

Ablativus comitatus.

Ablativus comitatus mea ex sententia hisce locis statui potest: I 46 (30 26) *deposito corpore;* I 31 (20 28) *genu nixo;* II 12 (57 12); VII 41 (274 8); 44 (278 4) *cruribus praefractis;* II 8 (53 17) *fide praeeunte;* I 39 (26 21) *inconfusis gradibus atque auctoritatibus.*

Ablativus modi.

Modi ablativo ablativus similis est uno loco: IV 23 (159 24) *rationibus amissis.*

Ablativus qualitatis.

Hisce locis ablativum qualitatis ablativo adfinem esse puto: III 35 (134 24) *immutatis nominibus;* V 36 (207 3) *reclusis esse obtentionibus;* VII 11 (245 27) *esse · extinctis luminibus atque auribus obseratis.*

Ablativus viae.

Ad viam indicandam ablativus uno usurpatur loco: V 7 (179 12) *Verum deum mater · · · civitatem ingreditur clausam muris eius capite subleratis.*

Ablativus instrumenti.

Instrumentalis vis ablativo inesse videtur multis locis velut: I 3 (5 16) *quae · · dissociata continuatione diduxerit;* I 3 (5 25) *ostenderem profecto replicatis prioribus saeculis;* I 34 (22 13) *inducta confusione conamini;* I 38 (25 8) *qui · ·*

nos · · insinuata veritate traduxit; I 46 (30 25) *qui · · · revelata nominis inmensitate monstrabat;* I 48 (32 8) *admota · · manu;* 50 (34 13); 50 (34 20) *illi · · circumscriptis evaginationibus compulerunt.*

Ablativus causae.

Causalem notionem ablativo absoluto tribuendam esse existimo his locis quos ex Arnobii libro primo excerpsi: I 1 (3 6) *ipsos etiam caelites derelictis curis solemnibus · · · exterminatos;* I 2 (3 19) *summotis · omnibus contentionum studiis · · · pendamus;* I 2 (4 23) *emortuis · flaminibus neque caelum coactatur;* I 3 (6 14) *quae gentes · · · aggerata interierint vastitate;* I 3 (6 20) *limis inhorruisse siccatis;* I 6 (8 18) *conversis usibus ferri;* (8 20) *incorruptis foederum sanctionibus conveniret;* I 8 (9 21) *iuventutem his quandam redintegratis viribus comparari;* I 8 (9 9) *refluunt malis reciprocantibus prospera;* I 14 (11 28) *ut commercia stuperent universa pretiorum auctoritate prostrata;* I 31 (21 12) *explorata fidei veritate an rumoris cassi opinatione sit creditus;* I *40 (26 29) *vi inlata decessit*[1].

Ablativus separativus.

Separativa vi ablativus his locis praeditus esse videtur: II 77 (111 9) *ad lumen efficitis circumcisis nexibus evolare;* VII 4 (240 21) *cernere · · patefactisque secretis provolvier intestina*[1]; 30 (263 26) *venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis.*

Ablativus inopiae.

Ablativus inopiae uno certe loco apud Arnobium statui potest: III 15 (122 7) *qui · · · capillos imminuant silvescentium crinium velleribus involutis;* videas p. 63.

[1] *vi* Sabaeus, *ut* codex Parisinus.

[1] Quo de loco videas quae scripsit Bastgen p. 39 sq.

Ablativus originis.

Originem ablativus hisce locis exprimere videtur: I 38 (25 14) *quo auctore, quo patre mundus iste sit constitutus et conditus;* II 35 (76 21) *ut hi omnes ⋯ aut ab eo sint geniti aut eo iubente prolati.*

§ 40. Ablativus cum praepositionibus coniunctus.

Quae de praepositionum apud Arnobium tractando usu dixi iam antea p. 13 velim videas.

Cap. VI.

Genetivus.

§ 41. Genetivus inopiae.

Genetivus et verbis et adiectivis inopiae nonnullis ab Arnobio raro adscribitur, quem ablativum eiusmodi vocibus adiungere solere paulo ante p. 62 sqq. iam commemoravi. Apud Arnobium genetivos inopiae cum verbis et adiectivis coniunctos his locis repperi.

A. Verba:

indigere. II 18 (62 25) *inops vita et multarum indigens rerum* (cl. I). De ablativo cum hoc verbo ab Arnobio coniuncto iam egi p. 63.

B. Adiectiva:

expers. I 3 (6 9) *saecula necessitatis istius aliquando fuerunt expertia?* 31 (21 3) *qualitatis expers, expers quantitatis*[1]*;* II 36 (77 5); 39 (79 10); IV 13 (151 16); 19 (157 5); VII 30 (264 2).

---

[1] *expers, expers* Klussmannus reposuit, *expers* semel in codice exstat; conferatur Loefstedtius A. p. 34 et huius operis p. 14 sq.

§ 42. Genetivus copiae.

Pari modo et verbis et adiectivis copiae genetivus ab Arnobio nonnullis locis apponitur. Qui apud eum occurrunt genetivi copiae eos infra breviter percensebo.

A. Verba:

implere. I 64 (45 19) *quae · · s e c u r i o r i s quinimmo e x p e c t a t i o n i s implerent* (cl. I)[1]. Equidem puto Arnobium hiatus vitandi causa genetivo usum esse, cum ablativus ad clausulam formandam aeque conveniret. Ablativus cum verbo coniungitur in initio enuntiati relativi II 1 (47 13) · · · *opes illas, quibus se genus humanum studiose contendit impleri* (cl. I).

B. Adiectiva:

consors. II 57 (93 13) *cum omnia nequeant v e r i esse consortia;* IV 19 (156 25) *Per humani generis iura atque i p s i u s m o r t a l i t a t i s consortia.*

compos. III 23 (128 7) *cur · · hos v i c t o r i a e compotes, alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri?*[2]. V 28 (199 22) *compos v o t i.*

particeps. I *25 (16 25) *Quid o participes r a t i o n i s audetis homines proloqui?*[3]. 28 (19 16) *n u l l i u s f i n i s;* 38 (25 24) *m o r t i s;* cet.

plenus. I 25 (17 1) *execrabilis religio est et infausta, i m p i e t a t i s et s a c r i l e g i i plena;* 42 (28 19) *quorum antiquas et patrias leges v a n i t a t i s esse plenissimas atque i n a n i s s i m a e s u p e r s t i t i o n i s ostendit;* *44 (29 17) *Atquin constitit Christum · · · a u x i l i a r i s plenum nobis p o t e s t a t i s munifica liberalitate donasse*[4];

---

[1] *implerent* cum Orellio Reifferscheidius scripsit, *impleret* codex praebet.

[2] *compotit* Stewechius inepte proposuit, *compotes esse (esse compotes)* dubitanter Reifferscheidius, sed ex clausula optima (*victoriae compotes* cl. II) apparet nihil mutandum esse. Ceterum iam Hildebrandius recte dixit: »ex praegressis enim *perficit* cogitatione addendum est«.

[3] *rationis* Sabaeus reposuit pro codicis Parisini scriptura *rationes.*

[4] *auxiliaris* Memmius pro codicis scriptura *auxiliaribus*, sed optime Loefstedtius A. p. 10 sq. *auxiliatibus* cum Stewechio et *munificae* e codice reposuit.

49 (33 13) *cum · · · plena sint omnia miserorum infeliciumque delubra;* 57 (38 29) *per hoc fīdei et veritatis plenissima;* cet. De ablativo huic adiectivo addito iam disserui p. 52.

cupidus. I 9 (9 26) *si hoc pacto navigationis cupidissimus conqueratur.*

§ 43. Genetivus quantitatis.

Genetivo latino cum nominibus pronominibus adverbiis coniuncto satis notum est copiam quandam rerum vel hominum indicari ex qua aliquid dicitur esse demptum, cuius usus permulta apud Arnobium exstant exempla.

Primum genetivus plurimis substantivis subiungitur mensuram vel modum exprimentibus.

examen. I 1 (3 17) *maerorum;* II 7 (52 19) *malorum*[1].

fragmen. I 46 (30 15) *reliquiarum.*

gens. I 16 (12 15, 16, 19) *eorum;* 45 (29 23) *daemonum;* cet.

genus. I 3 (6 25) *frugum;* I 14 (12 2); 53 (36 19) *mortalium;* I 36 (24 10) *livoris atque avaritiae;* I 59 (39 24) *quorundam fructuum*[2]*;* I 65 (45 26) *medicaminis;* I 38 (25 15, 21); 40 (27 11); 50 (34 5); cet.

modus. I 38 (26 2) *suae infirmitatis.*

multitudo. I 50 (34 3) *populi;* cet.

numerus. II 70 (104 26) *numinum;* (105 4) *rerum;* 73 (107 18); (108 3) *deorum.*

pars. I 53 (36 21) *sui;* 63 (43 11) *suspicionis atque opinationis.*

portio. II 7 (52 27) *somni;* 22 (66 5) *substantiae.*

punctum. I* 34 (22 16) *temporis*[3].

saeculum. I 1 (3 18); 25 (16 17) *mortalium.*

stirps. I 2 (5 6) *liberorum.*

summa. I 12 (11 12) *census;* 27 (18 1) *actionis;* 31 (21 16) *rerum;* cet.

---

[1] Cfr Lucretius V 1351 *pullorum examina.*

[2] De enallage huius loci aliorumque disputat Loefstedtius A. p. 59 sq.

[3] *puncto* Reifferscheidius addidit, *tempore* Sabaeus scripsit.

summitas. I 25 (16 28) *omnium summorum.*

vis. I 5 (7 14); 6 (8 7) *hominum.*

Deinde genetivus quantitatis adiectivis inprimis pronominalibus in nominativo aut accusativo neutrius generis positis interdum apponitur, cuius usus haec apud Arnobium repperi exempla.

minus. I 57 (39 7) *fictionis;* III 16 (122 25) *iniuriae;* VII 16 (250 19) *sollertiae.*

paululum. VI 13 (225 21) *temporis.*

plus. V 30 (201 27) *maledictionum et criminum;* VII 12 (247 4) *mercedis et indecorae corruptionis.*

quantum. V 21 (192 21) *temeritatis;* 33 (204 13) *audaciae.*

tantum. II 6 (51 18) *sapientiae, acuminis, vivacitatis, cordis, divinationis;* 33 (75 13); 34 (75 24); IV 32 (167 10) V 44 (213 5); VII 31 (265 12).

Tum pronomina neutrius generis nonnulla genetivum quantitatis adsciscunt haud paucis locis.

illud. V 25 (196 5) *illud temporis.*

id. V 1 (173 17) *ad id locorum.*

quid. II 1 (47 6) *quid rei, quid causae est?* 22 (66 10) *quid operis aut negotii celebrans · · decurrerit;* 30 (73 7) *periculi;* 52 (89 18) *rationis;* IV 22 (159 6); 29 (165 22); cet.

quidnam. II 58 (94 11) *quidnam fuerit rationis et causae?* IV 23 (159 28); 29 (165 22); cet.

quod. I 17 (13 18) *quod levitatis · · · culpabile est.*

aliquid. II 7 (53 12, 13) *veri;* 28 (71 20) *labis;* *57 (93 11) *temporis*[1]; 64 (100 5) *conpendii dispendiive;* 74 (108 21) *utilitatis;* 76 (110 14) *opis auxiliique;* III 18 (124 4); IV 19 (156 30); 30 (166 9); cet.

quidquid. I* 52 (36 2) *malefici graminis, virium;* III 27 (130 2) *labis et criminis.*

---

[1] *temporis* Reifferscheidius sine causa addidit. Conferatur quoque W. A. Baehrens Vermischtes ueber lateinischen Sprachgebrauch (Glotta V). XVI. Ellipse von *tempus* p. 94 sq.

nihil. I 5 (8 2) *novi;* 16 (12 20) *horum;* 53 (36 13) *fraudis;* cet.[1].

Praeterea Arnobius adverbiis loci nonnullis genetivum e more priorum scriptorum adiungit: V 24 (195 29); VI 22 (233 22) *ubinam gentium.* II 70 (104 23); IV 9 (148 2) *nusquam · · gentium.* V 15 (187 25) *uspiam gentium.*

§ 44. Genetivus materiae.

Genetivo materia ex qua aliquid constare dicitur ab Arnobio quoque nonnumquam indicatur. Huius genetivi usus exempla haec apud Arnobium occurrentia collegi, quae infra proponam.

globus. II 14 (59 10) *flammarum*[2].

ora. I 2 (5 4) *terrae.*

orbis. I 1 (3 5); I 13 (11 17); 25 (16 24) *terrarum;* cet.

vena. III 13 (121 5) *purpurei sanguinis.*

§ 45. Genetivus partitivus.

Genetivo partitivo qui proprie vocatur multitudo indicatur certa, cuius partes nomine regenti exprimuntur.

Primum pronomina et pronominalia apud Arnobium genetivum partitivum compluribus locis adsumunt.

qui(s). I 60 (42 1); V 22 (193 11); 29 (201 11) *mortalium;* IV 32 (167 19); V 26 (197 10) *hominum;* cet.

aliquis. I 51 (34 28) *mortalium;* II 21 (65 3) *horum;* 65 (101 2) *eorum;* III 38 (137 1); V 12 (184 18) *deorum.*

quispiam. III 43 (140 12) *horum numinum.*

---

[1] De genetivo cum voce *nihil* coniuncto agit Schmalzius (Satzbau und Negationen bei Arnobius, Glotta V, p. 208), qui quidem ignorare se confitetur, cur Sabaeus scripserit I 16 (12 28) *nihil laeti habere,* ubi codex *nihil laetum* servat propter sequentem litteram h ut puto ab Arnobio positum. Sabaeo vero genetivum placuisse credo etiam propter adiectivi genetivum paulo ante usurpatum I 5 (8 2) *cum novi fiat nihil.*

[2] G. Buerner (Vergils Einfluss bei den Kirchenschriftstellern. 1902) p. 34 iam Vergilium Lucretii vestigia secutum hac elocutione usum esse Aen. III 574 et Georg. I 473 adnotat.

quisquam. I 33 (21 30) *hominum;* II 7 (52 15); 11 (55 27); 43 (83 3); 69 (103 29); cet.

quicquam. II 58 (93 29) *horum;* III 42 (139 18) *certi;* V 2 (175 6) *soliditatis.*

quicumque. II 9 (54 5) *vestrum.*

unusquisque. VI 19 (231 16) *deorum;* VII 19 (252 30) *hominum.*

nemo. I 64 (44 12) *omnium;* IV 8 (147 17) *hominum.*

nullus. I 3 (6 12); IV 18 (156 13) *mortalium.* I 5 (7 27); V 15 (188 7); VII 25 (259 15) *hominum.*

uter. VI 21 (232 24) *eorum.*

Deinde Arnobius nominibus numeralibus genetivum subiungit his locis:

unus. V* 5 (177 8) *Apud Timotheum theologorum non ignobilem unum*[1].

nonus. VI 6 (218 16) *in historiarum · nono.*

(mille), milia solitum ad usum genetivum adsumit velut I 5 (7 12) *ante milia annorum decem.* Adnotandus maxime hic est locus Arnobii II 71 (106 16) *Annos ducit quinquaginta et mille aut non multum ab his minus. Ergo ab Iove · · · anni ad haec tempora prope milia duo sunt aut pleni*, quo loco ad usum nominativi appositivum priorem elocutionem *annos quinquaginta et mille* nonnihil valuisse Schmalzius Synt. p. 348 (§ 48 n.) non animadvertit.

Tum genetivus ex adiectivorum superlativis pendet hisce locis: III 6 (116 1) *ante omnes Tullius Romani disertissimus generis;* IV 16 (154 5) *Nilus maximus fluminum*; 23 (159 22) *regnatorum maximus nesciebat*; V 7 (180 11); 14 (187 13) *digitorum minimissimus;* 8 (181 16) *in librorum quattuor primo;* VI 6 (219 17) *non ante plurimum temporis;* VII 34 (268 9) *nec inter formiculam plurimum seseque esse discriminis;* VII 44 (279 6) *partem sui postremam conatibus prioris adducit.*

Quibus subiungi possunt:

[1] *unum* Ursinus proposuit pro codicis scriptura *virum*, quam Brakmanus A. p. 32 defendit *non ignobilem theologorum virum* significare dicens fere nobilissimum theologorum.

I 2 (4 15) *siderum sol princeps;* 53 (36 18) *non rectores, non principes mundi;* IV 34 (168 27) *poetarum principes atque reges.* His omnibus locis genetivus ad similitudinem possessivi maxime accedit.

Praeterea Arnobius genetivum partitivum cum positivo gradu adiectivorum coniungit paucis locis: I 46 (30 27) *qui · · innumeris se hominum · · detexit.* IV 11 (150 3) *quod multas cotidie praedictionum videmus aut aliter cadere.*

Postremo locum singularem proferre libet:

I 16 (12 27) *cur ibidem annonaria caritate non tantum corporis non nostri verum etiam Christianos ditiores et locupletissimos reddiderunt?* De hoc loco Loefstedtius A. p. 40 sqq. fuse optime agit. Qui compluribus locis ex recentioris latinitatis inprimis libris allatis et emendatis et explicatis ostendit genetivum *corporis non nostri* idem valere quod 'eos, qui non corporis nostri sunt' 'die nicht zu unserer Körperschaft gehörigen'. Conferri potest ex Arnobii opere V 24 (195 12) *cum · · · sint vestrarum partium.*

Quam plurimis locis Arnobius more scriptorum usitatissimo praepositionibus *de ex in inter* usus est ad vim partitivam indicandam, qua de re inspicias velim indices Hildebrandii et Reifferscheidii.

§ 46. Genetivus pretii.

Genetivum linguae latinae cum verbis *aestimandi emendi vendendi* similibus adhiberi interdum scimus, ut pretii significationem generalem indicet. Qui genetivus pretii in Arnobii libris raro occurrit his locis usurpatus:

II 76 (110 16) *quinimmo edocti sumus minas omnes · · · parvi ducere atque aestimare fortunae;* VII 27 (261 3) *sed pendatur ab his quanti · · · interrogamus.*

§ 47. Genetivus qualitatis.

De ablativi qualitatis usu disserens iam p. 46 adnotavi Arnobium ad qualitatem designandam genetivo quam plurimis locis usum esse. Qua in re scriptorem nostrum consuetudinem sermonis vulgaris et

recentioris latinitatis genetivum praeferentis secutum esse videmus [1]. Ex ingenti caterva genetivorum qualitatis apud Arnobium occurrentium haec exempla inprimis animadvertenda duxi. Quorum ablativorum plurimi verbo substantivo similibusque praedicativi loco apponuntur, nonnulli cum nominibus substantivis determinationis attributivae vice fungentes coniunguntur, praesertim quod scriptor huiusmodi genetivis vim adiectivorum compositorum nonnumquam expressisse videtur.

II 19 (64 2) *quod · · · sint in his plurimae acuminis obtunsioris et bardi;* 21 (65 4) *qui acuminis perhibentur fuisse divini.* — I 31 (21 10) *maioris est admirationis.* — II 71 (106 13) *Aetatis urbs Roma cuius esse · · · indicatur?* — II 39 (79 16) *quae fuerant simplices et bonitatis nuper innoxiae.* — II 68 (103 4) *nivei tauros · candoris.* — I 38 (25 5) *quod multiplicium capitum superavit conpescuitque natrices.* — I 28 (18 13) *meliorisne sunt causae?* — II 58 (94 18) *Cur · · · sint · · · obtunsi haec luminis, acutioris illa et fulgidae claritatis?* — I 36 (24 8) *obliti paulo ante sortis fuerint et condicionis cuius;* I 37 (24 17) *sortis eos humanae et condicionis fuisse communis;* 38 (24 31) *unum Christum fuisse de nobis, mentis animae corporis fragilitatis et condicionis unius;* II 75 (109 12); IV 29 (165 20); cet. — II 26 (69 20) *Quod enim nullius est corporis;* V 21 (192 17); VII 3 (239 28); 46 (280 20). — II 60 (97 2) *amens et desperationis insanae.* — I 47 (31 12) *Quanta sint enim haec vel exilitatis cuius reperientur et ludi.* [2] — II 12 (56 24) *quamvis esset inprudens et facilitatis stolidae.* — II 20 (64 16) *locus · · · non fervoris nimii in calore.* — II 8 (53 23) *coniugalia · · · casta et officiosi foederis.* — II 45 (84 10) *oblitae unius esse se fontis, unius*

[1] Conferatur Fr. Slotty Beitraege zur Kentnis des Vulgaerlateins (Glotta XI) p. 55: Der genetivus qualitatis gehört vorzugsweise · · · der Volkssprache an.

[2] De loco maxime contorto post Meiserum et Loefstedtium fuse disputavit Kirschwingius complurium interpretum variis sententiis allatis p. 45 sqq neque tamen quaestionem absolvit.

genitoris et capitis. — I 43 (29 10) *sive illi mares sunt sive feminei generis;* I 59 (41 10) *si · · · neque eadem possunt huius esse generis et illius;* II 48 (86 6) *ipsos se indicare non esse patricii generis;* III 8 (116 24, 117 3); 13 (120 24); 40 (138 11); 42 (139 21); cet. — II 45 (83 26) *animas · gravitatis ac ponderis constantiaeque nullius;* IV 18 (156 9); 34 (168 29); VI 21 (232 21). — II 29 (72 7) *quamvis ille sit indolis · · · fugientis.* — I 53 (36 22) *cuius esset aut magnitudinis sciri.* — II 13 (58 2) *qui estis unius mentis et · · · placitorum inceditis unitate;* VI 2 (215 10). — I 8 (9 1) *huius modi;* 18 (13 25); 32 (21 26); *39 (26 17); 51 (34 29); 54 (37 4); cet. II 48 (85 25) *cuiusmodi.* — II *29 (71 24) *res parvas atque exigui mominis*[1]*;* 35 (76 12); 49 (87 8). — II 5 (50 21) *quod nulla iam natio est tam barbari moris;* VII 21 (255 3). — I 14 (11 26) *inauditi nominis nationes;* III 4 (114 9); II 40 (80 28) *in materias · alieni nominis atque usus;* 42 (82 10) *res sancti atque augustissimi nominis;* 52 (89 14) *potestas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis;* III 27 (130 4); 35 (135 7); cet. — I 64 (44 26) *vilissimae servos notae.* — II 49 (87 6) *si minoris aquae guttas alicuius adieceris atque inmiseris numeri;* III 2 (113 7) *cuius sint praeterea numeri;* V 1 (173 20). — I 25 (16 19) *si communis officii res est.* — I 45 (30 1) *et iam † operis res erat*[2]*;* II 57 (93 19) *res est · · · supervacui operis;* V 6 (179 2); VI 23 (234 20). — II 59 (96 3) *odoris sunt alicuius vel coloris.* — II 35 (76 22, 23) *et ordinis sunt posterioris et temporis* cet. VII 15 (249 8). — III 6 (115 29) *homines pectoris vivi;* 19 (124 26) *Quis est autem tam optusi pectoris, tam bruti?* VII 1 (238 10). — II 20 (64 10) *cuius sit pretii homo.* — II 14 (58 29) *homo prudentiae non parvae et examinis*

[1] ita Meursius codicis scripturam *nominis* correxit.

[2] Quo de loco Kirschwingius fuse disserit p. 10 scripturis editorum et interpretum accurate allatis. Qui vocem *nullius* post *operis* addendam esse censet, quod oculus librarii a syllaba *ris* ad vocem *res* aberraverit, quae emendatio haud scio an et facillima et optima sit; ceterum conferatur Brakmanus M. II p. 24.

iudiciique perpensi; VI 2 (214 19). — II* 14 (59 13) *Sunt enim mediae qualitatis*[1]*;* II 35 (76 2) *si animae · mortales et qualitatis sunt mediae;* cfr 35 (76 13, 16); 36 (77 11); 53 (89 25). — I 28 (18 17) *illi · · vobis videntur nec reprehensionis ullius.* — III 8 (117 2) *Quis enim vel exigui sensus nescit?* VI 26 (236 26). — II 52 (89 20) *cum · eiusdem noluit sinceritatis esse mixturas humani animas generis.* — II 72 (106 26) *aut spatii cuius sunt milia annorum duo.* — I 31 (21 19) *Aiunt enim · · · stultitiae esse maioris;* V 15 (187 18) *nisi stultitiae paris esset et talia dicere.* — II 71 (105 17) *priscum est et nimiae vetustatis.* — II 33 (75 3) *naturam intuentes nostram virium esse nullarum;* 53 (89 27) *animas · · · parvarum et labilium virium.* — II 35 (76 19) *quod alicuius vocaminis fuerit;* IV 3 (143 28). — II 14 (59 8) *vir lenis et benivolae voluntatis;* V 28 (199 21).

§ 48. Genetivus patheticus.

Genetivo pathetico qui vocatur cum verbis affectum animi vel corporis designantibus coniuncto persona vel res significatur propter quam sensus moventur[2]. Cuius usus unum apud Arnobium deprehendi exemplum: V 43 (211 24) *quia talium scriptorum historiarumque vos pudet.*

§ 49. Genetivus criminis.

Genetivum cum verbis iudicialibus ad crimen inprimis exprimendum poni solere scimus, cuius usus in libris Arnobii satis multa exstant exempla apud priores quoque scriptores occurrentia[3]. Cuiusmodi genetivum his locis repperi usurpatum:

I 42 (28 18) *quae nec ipsi audent falsitatis arguere;* 57 (38 27) *Falsitatis arguitis res nostras: et nos vestras arguimus falsitatis;* IV 17 (155 15) *ne dum vos arguimus nimietatis;* 19

---

[1] *qualitatis* Gelenius scripsit, *qualitates* in codice est.

[2] Conferatur Berthold Raabe De genetivo latino capita tria. Regimonti 1917. p. 62 sq.

[3] Conferatur Raabe p. 7 sqq.

(156 24) *id libidinis et falsitatis arguere;* V 16 (188 11) *falsitatis.* — III 15 (122 19) *nec pudet* · · · *erroris alios et stultitiae condemnare.* — III 7 (116 15) *erroris convincite Ciceronem, refellitote, redarguite, temeraria et impia dictitare comprobate*[1]. — IV 22 (159 15) *cuius eum notetis probri.* — I 2 (4 1) *ut non impii nos, magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei*[2]*;* 29 (19 21) *Ergone impiae religionis sumus apud vos rei;* II 15 (60 4) *vitiositatis nullius rei;* IV 34 (169 8) *maiestatis;* V 8 (180 23) *contumeliae;* 31 (202 23) *irarum tantarum.*

§ 50. Genetivus obiectivus.

Genetivum latinum ita e verbis et nominibus substantivis et adiectivis pendere notum est, ut obiecti vice fungatur, si pro nomine regenti verbum ponitur finitum eadem vi praeditum. Ex exemplis Arnobianis nonnulla excerpsi mentione digna quae infra recenseam.

Primum genetivos cum verbis reminiscendi monendi obliviscendi similibusque coniunctos adferam[3].

memini. II 28 (71 3) *eorum quae;* V 13 (186 8) *legis et fati;* 25 (196 17) *valetudinis.*

oblivisci. II 41 (81 20) *divini ponderis et gravitatis;* 44 (83 16) *suae dignitatis et decoris;* V 9 (182 10) *ponderis et maiestatis.*

Quibus verbis subiungo nomina adiectiva, quae genetivum his locis adsciscunt[4].

conscius. II 54 (90 15) *mali nullius.*

inscius. VII 43 (276 1) *urbanarum rerum.*

consultus. II 5 (50 25) *iuris.*

experiens. I 37 (78 22) *Quid rei militaris experientissimos duces?*

---

[1] De toto loco disserit Loefstedtius A. p. 73 sqq., ubi codicis scripturam a plurimis mutatam recte defendit: *temeraria et impia dictitare refellitote, redarguite, comprobate.*

[2] De hoc loco conferatur Lorenzius p. 32.

[3] Conferatur Raabe p. 41 sqq.

[4] Raabe p. 15 sqq.

gnarus. II *24 (67 25) *quem esse conspicis gnarum rerum*[1].

ignarus. II 18 (62 23) *quod artis esset ignarum alicuius;* 51 (88 6) *aut rei esse alicuius ignarum.*

memor. I 15 (12 6) *dicemus iniuriarum nostrarum deos modo memores esse modo esse rursus immemores?* VII 39 (272 21) *ingenitae humilitatis.*

immemor. II 39 (79 28) *veritatis;* IV 13 (151 9): 20 (157 10).

peritus. II 38 (78 22) *capiendarum urbium;* V 18 (190 11) *disciplinarum.*

similis. I 56 (38 4); 57 (39 4); III 9 (117 19) *veri;* II 20 (64 11) *potentiae superioris;* IV 5 (145 8) *sui;* V 29 (200 21) *quorum.*

consimilis. VII 2 (238 18) *sui nominis;* 15 (249 13) *hominis.*

dissimilis. VII 50 (283 23) *sui.*

De dativo adiectivis *similis consimilis* addito antea iam egi p. 38 sq. Ex locis adnotatis rhythmum ad casum ponendum nonnihil valuisse apparet.

Deinde genetivos e substantivis verbalibus inprimis pendentes nonnullos proferam.

I 16 (12 25) *Si ··· fame plurimos emori nostri nominis aversione fecerunt.* VI 20 (231 31) *permittite illis curam sui* (cl. II). I *5 (7 22) *nostri nominis effectum est iniuria?*[2] I 6 (8 4) *religionis nostrae ob invidam;* 29 (19 24) *quis magis rectius horum feret invidiam nominum.* II 39 (80 2) *ut ··· nullam sui facerent mentionem.* II 27 (70 12) *sine sui mutabilitate.* VI 5 (217 28) *ab sui notitia.* II *15 (59 25) *inmoderata sui opinione*[3]. I 20 (14 19) *permittite illis potestatem sui.* II 53 (90 4) *si omnipotentem confidimus deum habiturum esse rationem nostri.* IV 16 (154 14) *et non dictis talibus habituram rationem sui.* II 78 (111 15) *de respectu nostri.* II 70 (104 25) *aliquem sensum sui habere coeperunt.* VI *18 (230 24) *ad reliquos habitus figurati corporis sui similitudinem commodare.* Hoc loco Reifferscheidius *sui* textui addidit, qua re fac-

[1] *gnarum* Ursinus reposuit, *ignarum* codex Parisinus servat.

[2] ita Sabaeus pro codicis scriptura *iura*, qua emendatione collisione facta rhythmus apte cadit (cl. II); conferas tamen quae scripsi R. I. p. 7.

[3] *sui* Gelenius recepit, *sibi* in codice Parisino exstat.

tum est, ut rhythmus non apte caderet. Neque genetivus *sui* sententiae prorsus est necessarius. Nisi forte genetivus *sui* e Reifferscheidii sententia ad genetivum antecedentem referendus est, id quod mihi minus probabile videtur. I 20 (14 15) *in ultionem · illorum;* (14 20) *in ultionem maiestatis offensae.*

Raro pro genetivo pronominis personalis possessivi pronominis forma posita est velut I 5 (7 18) *invidia nostra haec fuit?*

Nonnullis locis genetivus voci *ergo* postpositionis vice fungenti e more priscorum scriptorum ab Arnobio adiunctus est[1]: VII 13 (247 31); 17 (251 3); 30 (263 24) *honoris ergo.*

§ 51. Genetivus subiectivus.

Genetivus substantivis verbalibus subiectus quodam modo subiecti munere fungi dici potest, si pro nomine regenti verbum eiusdem significationis apponitur. Cuius genetivi quod non multum praebet peculiare ex Arnobii operis libris perpauca proferam exempla:

I 3 (6 15) *casus frequentissimi grandinis.* I 9 (9 27) *caeli flaturas.* I 21 (15 8) *olearum fluenta.* I 2 (4 14) *signorum · · inclinatio.* I 2 (4 12) *primigenii motus moderamen excedens.* I 45 (29 27) *profluvia sanguinis.* I 14 (11 26) *annorum proventus.* I 2 (4 17) *moderaminis soliti temperamenta.*

§ 52. Genetivus possessivus.

Genetivum possessivum quem vulgo nominant ab Arnobio quoque quam saepissime usurpari non est mirum, cum ad varias possessoris vel rei possessae significationes adhiberi possit. Neque huius genetivi genera accuratius separatim tractare utile duco, quippe quorum fines certos statuere non possimus. Quam ob rem eos recensebo genetivos, qui mihi prae ceteris in Arnobii opere adnotandi videntur.

[1] De huius vocis apud Lucretium usu conferas velim L. II G. p. 25.

Cum verbo impersonali *interest* genetivus coniungitur hoc loco[1]: II 12 (57 18) *quorum nomen interest obsolefieri Christianum*[2]. Verbo ablativus possessivi pronominis uno additur loco: V 15 (187 20) *Nostra quidem nihil interest.*

Verbo *esse* substantivo genetivus multis locis subiungitur. Quorum genetivorum haud pauci genetivis partitivis et qualitatis adsimiles sunt. Nam apud Arnobium, ut genetivus qualitatis quam frequentissimus est, id quod plurimis exemplis antea iam ostendi p. 78 sqq., ita genetivi possessivi simillimique cum *esse* verbo coniuncti saepissime apparent. Quibus in structuris analogiam multum valuisse apud poetas recentioresque scriptores Schmalzius Synt. p. 365 sq. (§ 74) recte nos docet. Ex Arnobii libris hosce excerpsi locos:

I 51 (35 1) *quod eius est;* IV 16 (155 9) *quod omnium est.* I 29 (20 2) *mundus · · ·, cuius est?* 30 (20 11) *cuius ista sit · · · terra, cuius aer iste?* Arnobius, ut est sermonis variandi studiosissimus, ante haec verba habet 30 (20 10) *in cuia possessione versemini, cuia in re sitis.* II 16 (60 21) *cuius sitis*; 47 (85 14) *Sed quas dei negamus, cuius sint debemus ostendere?* II 11 (55 25) *non esse · · hominis sed divinae alicuius atque incognitae potestatis;* I 51 (35 15) *Transscribere posse in hominem ius tuum · · · supra omnia sitae est potestatis continentisque;* II 65 (101 2). IV 31 (166 19) *Hoc enim forsitan rationis existimare possit et credi, illud sacrilegae mentis est et desperatae in fictionibus caecitatis.* II 69 (103 20) *id · · · intentionis esse non falsae.* VII 12 (247 15) *id quod sceleris magni est.* His tribus locis genetivus qualitatis genetivo simillimus est. V 24 (195 12) *cum qui ea conficiunt sint vestrarum partium.* Hoc loco genetivus ad similitudinem partitivi maxime accedit. Ceterum conferas quae iam dixi ad I 16 (12 27) *corporis non nostri.*

Saepissime verbo substantivo additus est infinitivus subiecti loco: II 55 (91 18) *eorum est · · · pervidere;* III 23 (127 8) *ludentis est dicere;* IV 19 (156 23) *adrogantis est dicere;* V 2 (175 17) *an · · ·*

[1] Conferatur Schmalzius Synt. p. 370 sq. (§ 81).

[2] Quid de hoc loco dixerit Krollius A. p. 107 videas p. 87.

aliorum sit operis scire; VII 35 (269 9) *dei summi est scire.* II 30 (73 22) *non tantum est erroris maximi verum stolidae caecitatis, frenare ingenitos adpetitus.* VII 12 (247 22) *non est superae dignitatis · · · venditare.* V 25 (197 4) *quibus moris est frangere ac temperare maerores;* VI 3 (215 28) *quas libare, profundere non est rationis expensae sed tracti per consuetudinem moris;* VII 6 (242 2); 17 (251 4); 18 (252 16); 20 (253 31); 29 (263 9). I 59 (40 15) *Enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quaerere voluptatem.* VII 21 (254 14) *nec piaculi parvi est · · · miscere.* II 70 (105 13) *cuius est autem pudoris, quinimmo inverecundiae cuius · · · in eo alterum reprehendere?* I 3 (5 24) *Si · · · non stoliditatis esset diutius inmorari.* II 39 (79 8) *quae temeritatis est maximae · · · depromere.*

Pari modo *fieri* verbo genetivus additur uno loco: II 39 (79 26) *ut · · · ad ultimum fierent alterius · potestatis.* Adnotari potest hic quoque locus: I 5 (7 13) *Ut · · · ab insula quae perhibetur Atlantica Neptuni · · · magna erumperet vis hominum.*

Solito apud scriptores latinos more Arnobius dicit I 46 (30 17) *Unus fuit e nobis qui · · · praecipiebat · · · conditos · post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri?*[1] Conferri potest I *64 (44 23) *qui sui temporis posteris notas scriptorum perpetuitate prolatant*[2].

Tum animadverto more apud recentiores praecipue usitato pro pronomine possessivo personalis pronominis genetivum poni hisce locis[3]: VII 3 (239 9) *debet habere causam sui,* cfr 29 (263 4); 29 (263 1) *Nisi · · · nec habebit expositam sui causam* (cl. I). II 38 (76 6) *nec optenturus integritatem sui* (cl. II). II 42 (82 19) *ut · · · vilitatem sui populo publicarent.* I 1 (3 13) *ne · · obtinuisse se causam putent victam sui vitio non adsertorum silentio destitutam;* conferatur I 27 (18 8) *vitio infirmitatis ingenitae.*

---

[1] De huiusmodi genetivis Loefstedtius Per. p. 149 sqq. docte disputat.

[2] *in temporis* codex praebet Parisinus, quod, ut verbis utar Oehleri, varie sed minus commode emendarunt editores. Reifferscheidio ut iam antea Orellio Hildebrandio Oehlero Ursini emendatio *sui temporis* placuit.

[3] Schmalzius Synt. p. 362 sq. (§ 71); Scharnaglius II p. 10 sq.

His ex locis apparet praeter rhythmum et analogiam et euphoniam ad genetivorum usum aliquantum valuisse.

Una cum adiectivo *proprius* genetivus multis locis exstat usurpatus[1] velut I 31 (21 8) *tuae benignitatis;* 49 (33 18) *dei veri potentiaeque regalis.*

Separatim proferam nonnullos locos, in quibus nomen regens substantivum aliqua de causa omissum est: VI 6 (218 22) *in Cereris Eleusiniae*, ubi praecedunt: *Athenis in Minervio, in templo eiusdem, Poliadis in fano, in Eleusinio consaepto*[2]. 6 (218 23) *non in Dianae delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperoche Laodiceque.* VI 13 (224 23) *Posidippi si relegat*[3].

Postremo ad usum Arnobianum illustrandum genetivos gerundii ex substantivis pendentes plurimos infra breviter examinabo:

V 1 (174 2) *bibendi adpetitione.* VII 14 (248 17) *amor in altioribus standi.* V 6 (178 2) *ardorem · · et sitiendi flagrantiam.* III 16 (123 2) *fingendi artes;* 23 (128 1) *medendi artibus.* II 64 (99 22) *Sortem vitae eligendi nulli est · · deus causa.* V 1 (173 15) *cupido noscendi.* II 5 (50 19) *Nonne vel haec saltem fidem vobis faciunt credendi*[4]. VII 39 (272 25) *obeundi formidine.* I 61 (42 15) *ad non credendi frontem.* V 1 (173 18) *aquandi solemne iter.* I 30 (20 21) *pluendi ius;* II 44 (83 18) *evagandi · · ius liberum;* 64 (99 16) *ab iure potandi;* VII 12 (246 9). II 30 (73 4) *libertate ex ipsa peccandi.* II 12 (57 19) *dedistis circumscriptoribus locum, illis, inquam, noxiis, quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi caligines atque obscurandi res tantas, eripiendae vobis fidei subiciendique contemptus.* Mirum in modum Krollius A. p. 107 de hoc loco, quem mutilum attulit (*quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi*

[1] De hoc adiectivo agit Brakmanus A. p. 39.

[2] Cetera de toto loco agit Loefstedtius A. p. 33.

[3] Reifferscheidius prius lacunam signavit dicens: *Cnidiaca* intercidisse videtur, sed in Indice III habet: genetivus rarior: sc. *librum* in Praefatione lacunae signo deleto. Brakmanus A. p. 25 sine causa ante genetivum *opus* inserere vult. Ceterum de ellipsi conferatur Scharnaglius II p. 18 sq.

[4] De huius loci artificioso et contorto verborum ordine adeas Spindlerum p. 72.

caligines atque obscurandi res tantas), scripsit: Ich finde nirgends ein Wort über die eigentümliche Konstruktion: bei *interest* steht erst der Acc. c. Inf., dann der Genet. Gerund.: darin wird man einen missverständlichen Archaismus erblicken dürfen. Iam Scharnaglius II p. 25 genetivos ad accusativum *locum* recte rettulit. III 9 (117 16) *obscenitas coeundi:* IV 19 (157 9). II 52 (89 7) *origo nascendi.* II 63 (99 3) ** *ad periculum moriendi*[1]. II 64 (99 15) *potestatem veniendi.* V 8 (181 13) *ex eadem ratione iaciendi;* VII 28 (261 28). I 31 (21 14) *philosophandi studio;* II 5 (51 3); 19 (64 2); 40 (80 26); 65 (100 10). II 25 (69 4) *usu atque adsiduitate cogendi.* V 12 (185 8) *vias inridendi.* I 29 (19 30) *vique ipsa vivendi.* Praeterea videas, si tanti est, VI 18 (230 6); VII 23 (255 26, 256 4, 13, 31); 43 (276 6); 44 (277 27).

Notandus est hic locus VII 6 (241 25) *Sed concedamus · · perturbationem huiusmodi familiarem diis esse placandique eius causa res divinas fieri*, ubi Meursius prave *placandaeque* scribi voluit.

§ 53. Genetivus definitivus.

Genetivus definitivus qui proprie nuncupatur ita ab scriptoribus usurpatur, ut substantivi regentis notionem compleat quodam modo et determinet. Saepenumero genetivus substantivi qui eiusdem fere est significationis substantivo regenti abunde additur. Qui genetivus inhaerentiae sive identitatis qui vocatur a quibusdam in Arnobii libris frequentissimus occurrit, cuius usus exempla plurima Reifferscheidius in Indice III p. 347 protulit: synonyma ex se apta et Brakmanus A. p. 14 sqq., ad quae inspicienda lectores revoco. Quibus multa addi posse Loefstedtius A. p. 31 sq. recte monet[2].

Genetivum proprie definitivum hisce locis repperi usurpatum:

V 7 (179 18) *Attis · · · sub pini arbore genitalia sibi desecat;* *12 (184 25) *ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici*[3].

---

[1] Reifferscheidio intercidisse videntur talia: *praemium inmortalitatis et evadere.*

[2] Conferatur Spindler quoque p. 26 sq.

[3] *mali enata* Sabaeus scripsit, *alienata* iu codice exstat.

Aliter genetivus positus est V 28 (200 3) *qui* · · · *ficorum ex arbore ramum validissimum praesecans dolat,* quo loco Brakmanus A. p. 32 genetivum materiae sive generis exstare contendit. — VI 6 (219 4) *quae Telmessi apud oppidum visitur.* — III 16 (123 9) *si porcina sub specie nomen esset Catonis aut Marci Ciceronis* inscriptum? De II 36 (77 4) videas sub dativo possessivo p. 22. Praeterea conferas VII 24 (257 15) *Quid taedae, quid neniae, quid offae non vulgi set quibus est nomen appellatioque penitae?*[1].

Genetivo definitivo hunc locum subiungo: V 23 (194 21) *membranulas ferventi adhuc matri velut quasdam infulas eliciendae miserationis offerentem,* ubi genetivus qualitatis quoque genetivo non dissimilis quodammodo finali sensu intentionem exprimit[2].

Paucis locis genetivus nominibus adiectivis et participiis subicitur qui definitivo adfinis aliquantum est: II 28 (71 16) *ad infima haec mundi;* VI 6 (219 1) *suprema funeris.* His locis haud scio an potius genetivus partitivus statuendus sit. V 3 (176 15) *ut* · · · *in caput caepicii ambiguitatis illius incerta traduceret.* I 26 (17 19) *Qui si pectorum secreta nesciret.* III 7 (116 10) *qui* · · · *nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum praesumpta vincentem.* Genetivus his omnibus locis possessivi speciem prae se fert.

Mihi quidem non liquet qua de causa Schmalzius Synt. p. 385 (§ 103 n. 1) de genetivo comparationis disserens dixerit: Freilich die bedeutenderen Autoren Arnobius, Cyprianus, Lactantius, Am-

[1] VII 24 (257 22) *Ex quibus est omentum pars quaedam, qua receptacula ventrium circumretita finiuntur,* ubi Reifferscheidius non perspecta structurae ratione a codicis Parisini scriptura *nomen omenti* recedens *omentum* scripsit, Loefstedtius Patr. p. 21 sqq. permultis exemplis prolatis codicis scripturam optime defendit. Pari ratione VII 28 (262 26) *ab deo ergo sentiri ratione non potest ulla, qui caret robore corporis,* ubi Reifferscheidius, ut dicit Brakmanus A. p. 32 mirabile dictu edidit *robore corporis,* Brakmanus codicis scripturam *re corporis* a prioribus recte receptam restituere vult.

[2] Schmalzius Synt. p. 445 (§ 178, 1).

brosius verwenden sie massvoll. Ne unum quidem huiusmodi genetivum in libris Arnobii deprehendere potui.

Neque genetivus exclamationis umquam ab Arnobio usurpatus est.

§ 54. Conclusio.

Librorum Adversus nationes casuum syntaxi pertractata pauca de dicendi genere et stilo Arnobii proferre non inutile duco neque supervacaneum.

Arnobius, ut est ubique dictionis variandae quam studiosissimus, vel uberrima verborum usus est copia, quam ex plurimorum scriptorum operibus depromptam auxit iteravit permutavit modo optimis auctoribus adstipulatus modo sermonem recentiorum scriptorum secutus. Neque temere Spindler p. 74 Arnobium ex variis libris Ciceronis, quem III 6 (116 1) *Romani disertissimum generis* appellat, multa hausisse nos docet. Tum Arnobius, quippe qui et numerosae dictionis et oratorii coloris cupidissimus sit, rhythmi gratia in structuris adhibendis multa non solum novavit, sed etiam insolenter posuit. Postremo libros diligentius recensenti facile apparet rhetorem Arnobium opus suum primitus audiendum composuisse, non legentibus pervulgasse, qua de re factum est, ut multae res animos audientium non offenderent, quae postea legentium laederent oculos[1].

[1] Qua de re conferas velim quae iam monui G. p. 15 sq.

Index librorum.

Editiones:

Arnobii Adversus Nationes libri VII. Recensuit···· G. F. Hildebrand. Halis Saxonum 1844.

Arnobii oratoris Adversus Nationes libri septem. Recensuit emendavit et adnotationibus illustravit Franciscus Oehler. Lipsiae 1846.

Arnobii Afri Disputationum Adversus Gentes libri VII. Recognovit···· Io. Conradus Orellius. I, II. Lipsiae 1816, 1817.

Arnobii Adversus Nationes libri VII. Recensuit et commentario critico instruxit Augustus Reifferscheid. Vindobonae 1875.

Arnobii Afri Adversus Gentes libri VII. Cum recensione Viri Celeberrimi (Claudii Salmasii), et integris omnium commentariis. Lugduni Batavorum 1651.

Commentationes:

Quaestiones de locis ex Arnobii adversus nationes opere selectis. Commentatio philologica quam ···· scripsit Matthias Bastgen. Monasterii 1887.

Miscella. Scripsit C. Brakman I. f. Lugduni-Batavorum 1912. [M. I]

Miscella altera. Scripsit C. Brakman I. f. Lugduni-Batavorum 1913. [M. II]

Miscella tertia. Scripsit C. Brakman I. f. Lugduni-Batavorum 1917. [M. III]

Arnobiana. Scripsit C. Brakman I. f. Lugduni-Batavorum 1917. [A.]

Die Erzählung von der grossen Göttermutter bei Arnobius. Von K. J. Hidén. Helsingfors 1921. [G.]

Randbemerkungen zu Arnobius Adversus nationes. I. Von K. J. Hidén. Helsingfors 1921. [R. I.]

Qua ratione in Arnobii libris ars critica exercenda sit. Dissertatio inauguralis quam . . . . scripsit Otto Kirschwing. Bornensis-Lipsiae 1911.

Arnobiana. Von Karl Kistner. Programm des K. Progymnasiums von St. Ingbert, Rhein-Pfalz, Westrich. 1912.

Arnobiusstudien. Von W. Kroll. Rheinisches Museum für Philologie. N. F. Bd. LXXII. Frankfurt am Main 1917, 18. [A.]

De clausulis Arnobianis. Dissertatio inauguralis philologica quam . . . . publice defendet Theodorus Lorenz. Vratislaviae 1910.

Arnobiana. Textkritische und sprachliche Studien zu Arnobius von Einar Löfstedt (Lunds Universitets Årsskrift. N. F. Avd. 1. Bd 12. Nr 5). Lund, Leipzig 1917. [A.]

Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität. Inaugural-Dissertation von Einar Löfstedt. Stockholm 1907. [Beitr.]

Spätlateinische Studien von Einar Löfstedt (Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala. XII. 4). Uppsala, Leipzig 1908. [St.]

Patristische Beiträge von Einar Löfstedt. Eranos. V. X. Upsaliae 1910. [Patr.]

Studien zu Arnobius von Karl Meiser (Sitzungsberichte der K. Bayerischen Akademie der Wissenschaften. Jahrg. 1908, 5. Abh.). München 1908.

De Arnobii maioris latinitate. I, II. Scripsit Ioannes Scharnagl. Jahresbericht des K. K. Staatsgymnasiums in Görz. 1894, 1895.

Satzbau und Negationen bei Arnobius von J. H. Schmalz. Glotta V. Göttingen 1914.

De Arnobii genere dicendi. Dissertatio inauguralis quam . . . . scripsit Prosper Spindler. Strassburg 1901.

De Arnobii studiis Latinis. Dissertatio philologica quam scripsit . . . . Gualterus Tschiersch. Ienae 1905.

Grammaticae dissertationes cet.:

Syntax of early Latin. Vol. II. The Cases. By Charles E. Bennet. Boston 1914.

Historische Syntax der lateinischen Sprache von Dr. A. Draeger. I, II. Zweite Auflage. Leipzig 1878, 1881.

De casuum syntaxi Lucretiana. I. Nominativus Vocativus Accusativus Dativus. II. Ablativus. II. Genetivus. Scripsit Carolus I. Hidén. Helsingforsiae 1896. 1899, 1920. [L. I, II A., II G.]

Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache von Dr. Raphael Kühner. I, II. Hannover 1877—1879. II. Satzlehre. Zweite Auflage neubearbeitet von Dr. Carl Stegmann. 1, 2. Hannover 1912, 1914.

Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae von Einar Löfstedt. Uppsala 1911. [Per.]

Formenlehre der lateinischen Sprache von Friedrich Neue. I, II, III Bd. Dritte Auflage von C. Wagener. Leipzig 1902, Berlin 1892—1897.

Itala und Vulgata. Von Hermann Rönsch. Zweite Ausgabe. Marburg 1875.

Historische Grammatik der lateinischen Sprache. I. Von Fr. Stolz. Leipzig 1894, 95.

Lateinische Grammatik (Laut- und Formenlehre, Syntax und Stilistik) bearbeitet von Dr. Friedrich Stolz und J. H. Schmalz. (Handbuch der klassischen Altertums-wissenschaft · · · herausgegeben von Dr. Iwan von Müller. Zweiter Band. Vierte Auflage. München 1910). [Synt.]

Glotta. Zeitschrift für griechische und lateinische Sprache. Herausgegeben von P. Kretschmer, Fr. Skutsch und W. Kroll. I—XI. Göttingen 1909—1921.

Thesaurus Linguae Latinae. I—VI. Lipsiae 1904—1921.

Index animadversionum criticarum praecipuarum.

Index rerum et vocabulorum brevis.

Summarium.

Cap. V. Ablativus.

Cap. VI. Genetivus.